# MISSALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
C O N C I L I I V AT I C A N I I I I N S T A U R A T U M
AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM
IOANNIS PAULI PP. II CURA RECOGNITUM

EDITIO TYPICA TERTIA
TYPIS VATICANIS
A.D. MMII

Editio typica, 1970
Reimpressio emendata, 1971
Editio typica secunda, 1975
Editio typica tertia, 2002

! “ Copyright ” apud Administrationem Patrimonii Sedis Apostolicæ in Civitate Vaticana
Venditio operis fit cura Librariæ Editricis Vaticanæ
(Libreria Editrice Vaticana, Città del Vaticano)

SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO
Prot. n. 166/70

## DECRETUM

Celebrationis eucharisticæ Ordine statuto, atque approbatis textibus ad Missale Romanum pertinentibus per Constitutionem Apostolicam Missale Romanum a Summo Pontifice PAULO VI die 3 aprilis 1969 datam, hæc Sacra Congregatio pro Cultu Divino, de mandato eiusdem Summi Pontificis, novam hanc editionem Missalis Romani ad normam decretorum Concilii Vaticani II confectam promulgat et uti typicam declarat.

Ad usum autem novi Missalis Romani quod attinet, permittitur ut editio latina, statim ac in lucem edita fuerit, in usum assumi possit, opportunis adhibitis accommodationibus quæ dies celebrationum Sanctorum respiciunt, donec Calendarium instauratum definitive in praxim adducatur; curæ autem Conferentiarum Episcopalium committitur editiones lingua vernacula apparare, atque diem statuere, quo eædem editiones, ab Apostolica Sede rite confirmatæ, vigere incipiant.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Cultu Divino, die 26 martii anni 1970, Feria V in Cena Domini.

Benno Card. Gut Præfectus
A. Bugnini a Secretis

SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. N. 1970/74

## DE EDITIONE TYPICA ALTERA

Cum Missale Romanum denuo imprimendum sit, variationes et additamenta inducta sunt, ut hæc nova editio respondeat documentis post eiusdem primam editionem anno 1970 publici iuris factis.

In Institutione generali, cuius numeri marginales non mutantur, descriptio habetur munerum acolythi et lectoris, loco munerum quæ de subdiacono agebant inserta (nn. 142-152).

Alia immutatio alicuius momenti habetur in parte Missalis quæ continet Missas rituales et pro variis necessitatibus. Quædam formularia completa sunt, antiphonas ad introitum et ad communionem indicando. Insuper additi sunt textus Missæ ritualis in dedicatione ecclesiæ et altaris, necnon Missæ pro reconciliatione atque, inter Missas votivas, textus Missarum, quæ de B. Maria V. Ecclesiæ Matre et de Ss.mo Nomine Mariæ desiderabantur.

Quædam aliæ variationes minoris momenti in titulos et in rubricas inductæ sunt, quo melius respondeant verbis seu dictionibus, quæ in novis libris liturgicis occurrunt.

Hanc editionem alteram Missalis Romani Summus Pontifex PAULUS VI auctoritate sua approbavit, et Sacra Congregatio pro Cultu Divino nunc emittit et typicam esse declarat.

Curæ erit Conferentiarum Episcopalium variationes in hac editione altera Missalis Romani contentas in editiones linguis vernaculis apparandis inducere.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Cultu Divino, die 27 martii Anni Sancti 1975, feria V in Cena Domini.

Iacobus Robertus Card. Knox Præfectus

+A. Bugnini

Archiep. tit. Diocletianensis

a Secretis

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO

ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 143/00/L

## DECRETUM

## DE EDITIONE TYPICA TERTIA

Tertio ineunte millennio ab Incarnatione Domini, editionem Missalis Romani novam parare visum est, quæ recentiora Apostolicæ Sedis documenta et præsertim novum Codicem Iuris Canonici excipiat atque variis emendationis et ascriptionis necessitatibus obtemperet.

Ad Institutionem Generalem Missalis Romani quod attinet, nonnullæ inductæ sunt variationes dictionibus et præscriptis aliorum

librorum liturgicorum congruentes necnon pastorali experientia commendatæ. Casus asciti de facultate Sacræ Communionis sub utraque specie distribuendæ clarius exponuntur; caput IX novæ ex integro compositionis additum est, ubi via adumbratur Missale Romanum ad necessitates pastorales convenienter componendi. Aliæ formulæ adduntur pro celebrationibus in Calendarium Romanum Generalem nuper insertis. Commune Beatæ Mariæ Virginis ad eiusdem Dei Genetricis cultum fovendum novis Missæ formulariis ditatur. Item in aliis Communibus, in Missis pro variis necessitatibus vel ad diversa dispositis, necnon in Missis pro defunctis ordo orationum quandoque mutatus est ad congruentiam textuum accuratius servandam. In Missis Quadragesimæ, iuxta antiquum morem liturgicum, pro unoquoque die oratio super populum inseritur.

In appendice ad Ordinem Missæ inveniuntur etiam Prex Eucharistica pro Reconciliatione, necnon Prex Eucharistica peculiaris, quæ pro variis necessitatibus adhiberi potest.

Hanc editionem tertiam Missalis Romani Summus Pontifex IOANNES PAULUS II die 10 mensis aprilis 2000 auctoritate sua approbavit et Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum nunc edit et typicam declarat.

Ex præsenti tertia typica editione Conferentiæ Episcoporum curabunt ut, intra congruum tempus, novæ versiones vernaculæ Missalis Romani fideliter atque adamussim fiant, præcedentibus versionibus adhuc in usum accurate emendatis ad fidem textus originalis Latini, a Sede Apostolica ad normam iuris recognoscendæ.

Hæc porro tertia editio typica latina Missalis Romani adhiberi potest in celebratione Sanctissimæ Eucharistiæ inde a die quo publici iuris fiet, incipere autem vigebit in Sollemnitate Corporis et Sanguinis Domini anno 2000.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 20 mensis aprilis anni Magni Iubilæi 2000, feria V in Cena Domini.

Georgius A. Card. Medina Estévez Præfectus

+Franciscus Pius Tamburrino Archiepiscopus a Secretis

# CONSTITUTIO APOSTOLICA "MISSALE ROMANUM"

## CONSTITUTIO APOSTOLICA

# MISSALE ROMANUM
# EX DECRETO CONCILII ŒCUMENICI VATICANI II
# INSTAURATUM PROMULGATUR
## PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Missale Romanum, ex decreto Concilii Tridentini a Decessore Nostro S. Pio V anno mdlxx promulgatum,[1] nemo non suscipit in multis iisque mirificis utilitatis fructibus esse numerandum, qui ex eadem Sacrosancta Synodo in universam Christi Ecclesiam dilapsi sunt. Per quattuor enim sæcula, non modo illud ritus latini sacerdotes pro norma habuerunt, ad quam eucharisticum sacrificium facerent, sed sacri etiam Evangelii nuntii in omnes fere terras invexerunt. Innumeri præterea sanctissimi viri animorum suorum erga Deum pietatem, haustis ex eo sive Sacrarum Scripturarum lectionibus sive precationibus, copiosius aluerunt, quarum præcipuam partem sanctus Gregorius Magnus in certum digesserat ordinem.
Sed ex quo tempore latius in christiana plebe increbescere et invalescere cœpit sacræ fovendæ liturgiæ studium, quod, de Decessoris Nostri ven. rec. Pii XII sententia, ostendere visum est, æque providentis Dei erga huius ætatis homines propensissimæ voluntatis indicium, æque Sancti Spiritus per Ecclesiam suam salutiferum transitum,[2] palam pariter eluxit, Missalis Romani formulas tum aliquatenus recognoscendas tum accessionibus esse locupletandas.
Cuius rei faciendæ initium idem Decessor Noster attulit Vigilia pa-

[1] Const. Apost. Quo primum, die 14 iulii 1570 data.
[2] Cf. Pius XII, Allocutio iis, qui primo Conventui ex omni natione de Liturgia pastorali, Assisii habito, interfuerunt, die 22 sept. 1956: A.A.S. 48 (1956) p. 712.

schali et Ordine Hebdomadæ sanctæ instauratis,[3] qui proinde primum quasi gradum posuit ad Missale Romanum novis huius temporis animi sensibus accommodandum.
Recens autem Concilium Œcumenicum Vaticanum II, edita Constitutione a verbis Sacrosanctum Concilium incipiente, generalis renovationis Missalis Romani fundamenta locavit: statuens, ut primum textus et ritus ita ordinarentur, ut sancta, quæ significarent, clarius exprimerent; [4] deinde, ut Ordo Missæ ita recognosceretur, ut singularum partium propria ratio necnon mutua conexio clarius paterent, atque pia et actuosa fidelium participatio facilior redderetur; [5] tum ut, quo ditior mensa verbi Dei pararetur fidelibus, thesauri biblici largius aperirentur; [6] ut postremo novus ritus concelebrationis conficeretur, Pontificali et Missali Romano inserendus.[7]
Attamen huiusmodi Missalis Romani renovatio nequaquam ex improviso inducta putanda est; cum ad eam haud dubie viam munierint progressiones in disciplinis liturgicis, proximis hisce

quattuor sæculis, factæ. Nam si, post Concilium Tridentinum celebratum, ad Missalis Romani recognitionem non parum adiuvarunt evoluti et inspecti vetusti Bibliothecæ Vaticanæ aliique undique conquisiti codices, uti confirmatur Constitutione Apostolica Quo primum a Decessore Nostro S. Pio V data, posthæc nimirum hinc vetustissimi liturgici fontes et reperti et foras emissi sunt, hinc liturgicæ Orientalis Ecclesiæ formulæ altius sunt investigatæ; ita ut optarent multi, ut huius generis cum doctrinæ tum pietatis divitiæ, non modo in tabulariorum tenebris non iacerent, sed e contrario in lucem prolatæ christianorum mentes animosque illustrarent et pascerent.

Nunc vero, ut novam Missalis Romani compositionem, summis saltem lineamentis, quasi præfiniamus, in primis animadvertimus, Institutione Generali, qua in libro tamquam prooemio usi sumus, novas normas eucharistici sacrificii celebrandi proponi, sive quoad ritus persolvendos et officia uniuscuiusque astantis et participis propria, sive quoad suppellectiles et loca rei divinæ peragendæ necessaria.

Præcipua instaurationis novitas in Precatione eucharistica, quam vocant, versari existimanda est. Quamvis enim in romano ritu prima eiusdem Precationis pars, hoc est præfatio, varias, sæculis volventibus, susceperit formulas, altera tamen pars, quam Canonem Actionis appellabant, per illud tempus, quod a iv ad v sæculum actum est, immutabilem induit formam; cum, e

[3] Cf. S. Congr. Rituum, Decr. Dominicæ Resurrectionis, 9 febr. 1951: A.A.S. 43 (1951) pp. 128 ss.; Decr. generale Maxima redemptionis nostræ mysteria, 16 nov. 1955: A.A.S. 47 (1955) pp. 838 ss.

[4] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 21.

[5] Cf. ibid., n. 50.

[6] Cf. ibid., n. 51.

[7] Cf. ibid., n. 58.

contrario, Liturgiæ Orientales in ipsas Anaphoras quandam varietatem reciperent. Hac autem in re præterquam quod Precatio eucharistica aucta est copia præfationum, vel ex antiquiore Romanæ Ecclesiæ traditione sumptarum, vel nunc primum compositarum, quibus et peculiares partes mysterii salutis clarius patefierent, et plura uberioraque gratias agendi argumenta præberentur, præterea ut eidem Precationi tres novi Canones adderentur statuimus. Attamen sive ut pastoralibus, quas nominant, rationibus consuleretur, sive ut concelebratio expeditius procederet, iussimus verba dominica in qualibet Canonis formula una eademque esse. Itaque in quavis Precatione eucharistica illa sic proferri volumus: supra panem: Accipite et manducate ex hoc omnes: Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis tradetur; et supra calicem: Accipite et bibite ex eo omnes: Hic est enim calix Sanguinis mei novi et æterni testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Verba autem

Mysterium fidei, de contextu verborum Christi Domini deducta, atque a sacerdote prolata, ad fidelium acclamationem veluti aditum aperiunt.
Quoad Ordinem Missæ, ritus, probe servata eorum substantia, simpliciores facti sunt.[8] Ea namque prætermissa sunt, quæ temporum decursu duplicata fuerunt vel minus utiliter addita,[9] præsertim circa ritus oblationis panis et vini, et circa ritus fractionis panis et Communionis.
Huc accedit quod restituuntur ... ad pristinam sanctorum Patrum normam nonnulla quæ temporum iniuria deciderunt; [10] cuius generis sunt homilia [11] et oratio universalis seu oratio fidelium [12] et ritus pænitentialis, seu reconciliationis cum Deo et cum fratribus, initio Missæ peragendus: cui, ut oportebat, suum redditum est momentum.
Ad hæc, iuxta illud Concilii Vaticani II præscriptum, quo præcipiebatur ut intra præstitutum annorum spatium, præstantior pars Scripturarum sanctarum populo legeretur,[13] totum lectionum corpus diebus dominicis legendarum in trium annorum ordinem tributum est. Præterea diebus utcumque festis, lectioni Epistulæ et Evangelii alia præponitur, ex Veteri Testamento, vel, tempore paschali, ex Actibus Apostolorum sumpta. Hac enim adhibita ratione, enucleatius mysterii salutis continuus processus illustratur, verbis Dei revelatis demonstratus. Quæ amplissima lectionum biblicarum copia, qua diebus festis præstantior sacrarum Scripturarum pars fidelibus proponitur, accessione profecto completur reliquarum librorum sacrorum partium, quæ diebus profestis recitantur.

[8] Cf. ibid., n. 50.
[9] Cf. ibid., n. 50.
[10] Cf. ibid., n. 50.
[11] Cf. ibid., n. 52.
[12] Cf. ibid., n. 53.
[13] Cf. ibid., n. 51.

Quæ sane omnia hoc modo ordinata sunt, ut magis ac magis in christifidelibus ea verbi Dei fames [14] exstimuletur, qua, Spiritu Sancto duce, novi fœderis populus ad perfectam Ecclesiæ unitatem veluti urgeri videatur. Hisce ita compositis, illud etiam vehementer fore confidimus, ut sacerdotes et fideles simul sanctius animum suum ad Cenam Domini præparent, simul, sacras Scripturas altius meditati, verbis Domini uberius in dies alantur. Exinde denique sequetur, ut, iuxta Concilii Vaticani II monita, divinæ litteræ sive quasi quidam spiritualis vitæ fons perennis, sive præcipuum christianæ doctrinæ tradendæ argumentum, sive demum cuiusvis theologicæ institutionis medulla ab omnibus habeantur.
Verumtamen in hac Missalis Romani instauratione, non solum tres, de quibus adhuc diximus, partes, hoc est Precatio eucharistica, Ordo Missæ et Ordo lectionum, mutatæ sunt, sed ceteræ

etiam, in quibus idem constat, recognitæ et valde variatæ sunt, id est: Temporale, Sanctorale, Commune Sanctorum, Missæ rituales et Missæ votivæ, quæ vocant. In quibus peculiaris quædam diligentia ad orationes adhibita est, quæ non solum numero auctæ sunt, ut novis horum temporum necessitatibus novæ responderent, sed etiam vetustissimæ ad antiquorum textuum fidem redditæ. Ex quo factum est, ut singulis præcipuorum temporum liturgicorum feriis, scilicet Adventus, Nativitatis, Quadragesimæ et Paschæ, diversa cotidie adiceretur oratio.

Quod reliquum est, licet textus Gradualis Romani, ad cantum saltem quod attinet, non fuerit mutatus, tamen, facilioris intellectus gratia, sive psalmus ille responsorius, de quo S. Augustinus et S. Leo Magnus sæpe commemorant, sive antiphonæ ad introitum et ad Communionem in Missis lectis adhibendæ, pro opportunitate, instaurata sunt.

Ad extremum, ex iis quæ hactenus de novo Missali Romano exposuimus quiddam nunc cogere et efficere placet. Cum Decessor Noster S. Pius V principem Missalis Romani editionem promulgavit, illud veluti quoddam unitatis liturgicæ instrumentum idemque tamquam genuini religiosique cultus in Ecclesia monumentum christiano populo repræsentavit. Haud secus Nos, etsi, de præscripto Concilii Vaticani II, in novum Missale legitimas varietates et aptationes [15] ascivimus, nihilo tamen secius fore confidimus, ut hoc ipsum a christifidelibus quasi subsidium ad mutuam omnium unitatem testandam confirmandamque accipiatur, utpote cuius ope, in tot varietate linguarum, una eademque cunctorum precatio ad cælestem Patrem, per summum Pontificem nostrum Iesum Christum, in Spiritu Sancto, quovis ture fragrantior ascendat.

Quæ Constitutione hac Nostra præscripsimus vigere incipient a die xxx proximi mensis Novembris hoc anno, id est a Dominica I Adventus.

[14] Cf. Amos 8, 11.

[15] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, nn. 38-40.

Nostra hæc autem statuta et præscripta nunc et in posterum firma et efficacia esse et fore volumus, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Decessoribus Nostris editis, ceterisque præscriptionibus etiam peculiari mentione et derogatione dignis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die iii mensis Aprilis, in Cena Domini N. I. C., anno mcmlxix, Pontificatus Nostri sexto.

PAULUS PP. VI

# INSTITUTIO GENERALIS MISSALIS ROMANI

## PROŒMIUM

1. Cenam paschalem cum discipulis celebraturus, in qua sacrificium sui Corporis et Sanguinis instituit, Christus Dominus cenaculum magnum, stratum (Lc 22, 12) parari mandavit. Quod quidem iussum etiam ad se pertinere Ecclesia semper est arbitrata, cum de iis statuebat, quæ, in disponendis hominum animis, locis, ritibus, textibus, ad sanctissimæ Eucharistiæ celebrationem spectarent. Normæ quoque hodiernæ, quæ, voluntate Concilii Oecumenici Vaticani II innixæ, præscriptæ sunt, atque novum Missale, quo Ecclesia Ritus romani in Missa celebranda posthac utetur, iterum sunt argumentum huius sollicitudinis Ecclesiæ, eius fidei immutatique amoris erga summum mysterium eucharisticum, atque continuam contextamque eius traditionem, quamquam res novæ quædam inductæ sunt, testantur.

### Testimonium fidei immutatæ

2. Missæ natura sacrificalis, a Concilio Tridentino, quod universæ traditioni Ecclesiæ congruebat, sollemniter asserta,[1] rursus enuntiata est a Concilio Vaticano II, quod circa Missam hæc significantia protulit verba: “ Salvator noster in Cena novissima sacrificium eucharisticum Corporis et Sanguinis sui instituit, quo sacrificium crucis in sæcula, donec veniret, perpetuaret, atque adeo Ecclesiæ dilectæ sponsæ memoriale concrederet mortis et resurrectionis suæ ”.[2]
Quod sic a Concilio docetur, id formulis Missæ continenter exprimitur. Etenim doctrina, quæ hac sententia, iam in antiquo Sacramentario, vulgo Leoniano nuncupato, exstante, presse significatur: “ quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur ”,[3] apte accurateque explicatur in Precibus eucharisticis; in his enim sacerdos, dum anamnesin peragit, ad Deum nomine etiam totius populi conversus, ei gratias persolvit et sacrificium offert vivum et sanctum, oblationem scilicet Ecclesiæ et hostiam, cuius immolatione ipse Deus voluit placari,[4] atque orat, ut Corpus et Sanguis Christi sint Patri sacrificium acceptabile et toti mundo salutare.[5]
Ita in novo Missali lex orandi Ecclesiæ respondet perenni legi credendi, qua nempe monemur unum et idem esse, excepta diversa offerendi ratione, crucis sacrificium eiusque in Missa sacramentalem renovationem, quam in Cena novissima Christus Dominus instituit Apostolisque faciendam mandavit in sui memoriam, atque proinde Missam simul esse sacrificium laudis, gratiarum actionis, propitiatorium et satisfactorium.

[1] Conc. Œcum. Trid., Sessio XXII, 17 septembris 1562: Denz.-Schönm. 1738-1759.
[2] Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 47; cf. Const. dogm. de Ecclesia, Lumen gentium, nn. 3, 28; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, Presbyterorum ordinis, nn. 2, 4, 5.
[3] Missa vespertina in Cena Domini, oratio super oblata. Cf. Sacramentarium Veronense, ed. L.C. Mohlberg, n. 93.
[4] Cf. Prex eucharistica III.
[5] Cf. Prex eucharistica IV.

3. Mirabile etiam mysterium præsentiæ realis Domini sub speciebus eucharisticis, a Concilio Vaticano II [6] aliisque Ecclesiæ Magisterii documentis [7] eodem

sensu eademque sententia, quibus Concilium Tridentinum id credendum proposuerat,[8] confirmatum, in Missæ celebratione declaratur non solum ipsis verbis consecrationis, quibus Christus per transsubstantiationem præsens redditur, sed etiam sensu et exhibitione summæ reverentiæ et adorationis, quæ in Liturgia eucharistica fieri contingit. Eadem de causa populus christianus adducitur, ut feria V Hebdomadæ sanctæ in Cena Domini, et in sollemnitate Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi, hoc admirabile Sacramentum peculiarem in modum excolat adorando.

4. Natura vero sacerdotii ministerialis, quod episcopi et presbyteri proprium est, qui in persona Christi sacrificium offerunt cœtuique populi sancti præsident, in ipsius ritus forma, e præstantiore loco et munere eiusdem sacerdotis elucet. Huius vero muneris rationes edicuntur et perspicue ac fusius explanantur in gratiarum actione Missæ chrismatis, feria V Hebdomadæ sanctæ; quo videlicet die institutio sacerdotii commemoratur. In illa enim collatio potestatis sacerdotalis per manuum impositionem facta illustratur; atque ipsa potestas, singulis officiis recensitis, describitur, quæ est continuatio potestatis Christi, Summi Pontificis Novi Testamenti.

5. Sed hac sacerdotii ministerialis natura etiam aliud quiddam, magni sane faciendum, in sua luce collocatur, id est regale sacerdotium fidelium, quorum sacrificium spirituale per Episcopi et presbyterorum ministerium in unione cum sacrificio Christi, unici Mediatoris, consummatur.[9] Namque celebratio Eucharistiæ est actio Ecclesiæ universæ; in qua unusquisque solum et totum id agat, quod ad ipsum pertinet, respectu habito gradus eius in populo Dei. Quo efficitur, ut etiam rationes quædam celebrationis magis attendantur, quibus sæculorum decursu interdum est minor cura adhibita. Hic enim populus est populus Dei, Sanguine Christi acquisitus, a Domino congregatus, eius verbo nutritus, populus ad id vocatus, ut preces totius familiæ humanæ ad Deum admoveat, populus, qui pro mysterio salutis gratias in Christo agit eius sacrificium offerendo, populus denique, qui per Communionem Corporis et Sanguinis Christi in unum coalescit. Qui populus, licet origine sua sit sanctus, tamen per ipsam participationem consciam, actuosam et fructuosam mysterii eucharistici in sanctitate continenter crescit.[10]

## Traditio non intermissa declaratur

6. Cum præcepta enuntiaret, quibus Ordo Missæ recognosceretur, Concilium Vaticanum II præter alia mandavit quoque, ut ritus nonnulli restituerentur

[6] Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, nn. 7, 47; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, Presbyterorum ordinis, nn. 5, 18.

[7] Cf. Pius XII, Litt. Enc. Humani generis, diei 12 augusti 1950: A.A.S. 42 (1950) pp. 570-571; Paulus VI, Litt. Enc. Mysterium Fidei, diei 3 septembris 1965: A.A.S. 57 (1965) pp. 762-769; Sollemnis professio fidei, diei 30 iunii 1968, nn. 24-26: A.A.S. 60 (1968) pp. 442-443; S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, nn. 3 f, 9: A.A.S. 59 (1967) pp. 543, 547.

[8] Cf. Conc. Œcum. Trid., Sessio XIII, 11 octobris 1551: Denz.-Schönm. 1635-1661.

[9] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, Presbyterorum ordinis, n. 2.

[10] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 11.

“ ad pristinam sanctorum Patrum normam ”,[11] iisdem videlicet usum verbis ac S. Pius V in Constitutione Apostolica “ Quo primum ” inscriptis, qua anno 1570 Missale Tridentinum est promulgatum. Ob hanc vero ipsam verborum convenientiam notari potest, qua ratione ambo Missalia romana, quamvis intercesserint quattuor sæcula, æqualem et parem complectantur traditionem. Si autem huius traditionis ponderentur interiora elementa, intellegitur etiam, quam egregie ac feliciter prius perficiatur altero.

7. Temporibus sane difficilibus, quibus catholica fides de indole sacrificali Missæ, de ministeriali sacerdotio, de reali et perpetua Christi sub eucharisticis speciebus præsentia in discrimen fuerat adducta, id S. Pii V imprimis intererat,

ut recentiorem traditionem, immerito oppugnatam, servaret, minimis tantummodo ritus sacri mutationibus inductis. Re quidem vera Missale illud anni 1570 paulum admodum distat a primo omnium anno 1474 typis edito Missali, quod vicissim fideliter quidem repetit Missale temporis Innocentii PP. III. Codices insuper Bibliothecæ Vaticanæ, quamquam aliquot intulerant locutionum emendationes, haud tamen permiserunt, ut in illa pervestigatione “ veterum et probatorum auctorum ” plus quam liturgici commentarii mediæ ætatis inquirerentur.

8. Hodie, contra, illa “ sanctorum Patrum norma ”, quam sectabantur Missalis S. Pii V emendatores, locupletata est innumerabilibus eruditorum scriptis. Postquam enim Sacramentarium Gregorianum nuncupatum anno 1571 primum editum est, vetera Sacramentaria romana et ambrosiana critica arte sæpe typis sunt divulgata, perinde ac vetusti libri liturgici hispani et gallicani, qui plurimas preces non levis præstantiæ spiritualis, eo usque ignoratas, in conspectum produxerunt. Traditiones pariter priscorum sæculorum, antequam ritus Orientis et Occidentis constituerentur, nunc idcirco melius cognoscuntur, quod tot reperta sunt documenta liturgica.

Præterea progredientia sanctorum Patrum studia theologiam mysterii eucharistici lumine perfuderunt doctrinæ Patrum in antiquitate christiana excellentissimorum, uti S. Irenæi, S. Ambrosii, S. Cyrilli Hierosolymitani, S. Ioannis Chrysostomi.

9. Quapropter “ sanctorum Patrum norma ” non postulat solum, ut conserventur ea, quæ maiores nostri proximi tradiderint, sed ut comprehendantur altiusque perpendantur cuncta præterita Ecclesiæ tempora ac modi universi, quibus unica eius fides declarata est in humani civilisque cultus formis tam inter se differentibus, quippe quæ vigerent in regionibus semiticis, græcis, latinis. Amplior autem hic prospectus cernere nos sinit, quemadmodum Spiritus Sanctus præstet populo Dei mirandam fidelitatem in conservando immutabili fidei deposito, licet permagna sit precum rituumque varietas.

## Ad novas rerum condiciones accommodatio

10. Novum igitur Missale, dum testificatur legem orandi Ecclesiæ romanæ, fideique depositum a Conciliis recentioribus traditum tutatur, ipsum vicissim magni momenti gradum designat in liturgica traditione.

[11] Ibidem, n. 50.

Cum enim Patres Concilii Vaticani II asseverationes dogmaticas Concilii Tridentini iterarunt, in longe alia mundi ætate sunt locuti; qua de causa in re pastorali valuerunt afferre proposita et consilia, quæ ante quattuor sæcula ne prævideri quidem potuerunt.

11. Agnoverat iam Tridentinum Concilium magnam utilitatem catecheticam, quæ in Missæ celebratione contineretur; unde tamen colligere omnia consectaria, ad vitæ usum quod attinet, nequibat. A multis reapse flagitabatur, ut sermonem vulgarem in sacrificio eucharistico peragendo usurpari liceret. Ad talem quidem postulationem, Concilium, rationem ducens adiunctorum illa ætate obtinentium, sui officii esse arbitrabatur doctrinam Ecclesiæ tralaticiam denuo inculcare, secundum quam sacrificium eucharisticum imprimis Christi ipsius est actio, cuius proinde efficacitas propria eo modo non afficitur, quo fideles eiusdem fiunt participes. Idcirco firmis hisce simulque moderatis verbis edictum est: “ Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur ”.[12] Atque condemnandum esse pronuntiavit eum, qui censeret “ Ecclesiæ romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere ”.[13] Nihilominus, dum hinc vetuit in Missa linguæ vernaculæ usum, illinc animarum pastores eius in locum congruentem substituere catechesim iussit: “ ne oves Christi esuriant ... mandat sancta Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut

frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios, ex his, quæ in Missa leguntur, exponant atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis et festis ".[14]

12. Propterea congregatum, ut Ecclesiam aptaret ad proprii muneris apostolici necessitates hisce ipsis temporibus, Concilium Vaticanum II funditus perspexit, quemadmodum Tridentinum, didascalicam et pastoralem indolem sacræ Liturgiæ.[15] Et, cum nemo catholicorum esset, qui legitimum efficacemque ritum sacrum negaret lingua latina peractum, concedere etiam valuit: " Haud raro linguæ vernaculæ usurpatio valde utilis apud populum exsistere possit ", eiusque adhibendæ facultatem dedit.[16] Flagrans illud studium, quo hoc consultum ubivis est susceptum, profecto effecit ut, ducibus Episcopis atque ipsa Apostolica Sede, universæ liturgicæ celebrationes quas populus participaret, exsequi liceret vulgari sermone, quo plenius intellegeretur mysterium, quod celebraretur.

13. Verumtamen, cum linguæ vernaculæ usus in sacra Liturgia instrumentum sit, quamvis magni momenti, quo apertius exprimeretur catechesis mysterii, quæ in celebratione continetur, Concilium Vaticanum II admonuit præterea, ut aliqua Tridentini præscripta, quibus non omnibus locis erat obtemperatum, ad exitum deducerentur, veluti homilia diebus dominicis et festis habenda [17] et facultas inter ipsos sacros ritus quasdam monitiones intericiendi.[18]

Potissimum vero Concilium Vaticanum II, a quo suadebatur " illa perfectior Missæ participatio, qua fideles post Communionem sacerdotis ex eodem sacrificio Corpus dominicum sumunt ",[19] incitavit, ut aliud optatum Patrum Tridentinorum in rem transferretur, ut scilicet ad sacram Eucharistiam plenius participandam " in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent ".[20]

[12] Conc. Œcum. Trid., Sessio XXII, Doctr. de ss. Missæ sacrificio, cap. 8: Denz.-Schönm. 1749.
[13] Ibidem, can. 9: Denz.-Schönm. 1759.
[14] Ibidem, cap. 8: Denz.-Schönm. 1749.
[15] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 33.
[16] Ibidem, n. 36.
[17] Ibidem, n. 52.
[18] Ibidem, n. 35, 3.

14. Eodem quidem animo ac studio pastorali permotum, Concilium Vaticanum II nova ratione expendere potuit institutum Tridentinum de Communione sub utraque specie. Etenim, quoniam hodie in dubium minime revocantur doctrinæ principia de plenissima vi Communionis, qua Eucharistia sub una specie panis suscipitur, permisit interdum Communionem sub utraque specie, cum scilicet, per dilucidiorem signi sacramentalis formam, opportunitas peculiaris offerretur altius intellegendi mysterii, quod fideles participarent.[21]

15. Hoc pacto, dum fida permanet Ecclesia suo muneri ut magistræ veritatis, custodiens " vetera ", id est depositum traditionis, officium quoque explet considerandi prudenterque adhibendi " nova " (cf. Mt 13, 52).

Pars enim quædam novi Missalis preces Ecclesiæ apertius ordinat ad temporis nostri necessitates; cuius generis sunt potissimum Missæ rituales et pro variis necessitatibus, in quibus traditio et novitas opportune inter se sociantur. Itaque, dum complures dictiones integræ manserunt ex antiquissima haustæ Ecclesiæ traditione, per ipsum sæpius editum Missale Romanum patefacta, aliæ plures ad hodierna requisita et condiciones accommodatæ sunt, aliæ, contra, uti orationes pro Ecclesia, laicis, operis humani sanctificatione, omnium gentium communitate, necessitatibus quibusdam nostræ ætatis propriis, ex integro sunt contextæ, sumptis cogitationibus ac sæpe ipsis locutionibus ex recentibus Concilii documentis.

Ob eandem porro æstimationem novi status mundi, qui nunc est, in vetustissimæ traditionis textuum usu, nulla prorsus videbatur inferri iniuria tam venerando thesauro, si quædam sententiæ immutarentur, quo convenientius

sermo ipse cum hodiernæ theologiæ lingua concineret referretque ex veritate condicionem disciplinæ Ecclesiæ præsentem. Hinc dicta nonnulla, ad existimationem et usum bonorum terrestrium attinentia, sunt mutata, haud secus ac nonnulla, quæ exterioris quandam pænitentiæ formam prodebant aliarum Ecclesiæ ætatum propriam.

Hoc denique modo normæ liturgicæ Concilii Tridentini pluribus sane in partibus completæ et perfectæ sunt normis Concilii Vaticani II, quod ad exitum perduxit conatus ad sacram Liturgiam fideles propius admovendi, qui per hæc quattuor sæcula sunt suscepti, præsertim vero recentiore ætate, maxime studio rei liturgicæ a S. Pio X eiusque Successoribus promoto.

[19] Ibidem, n. 55.
[20] Conc. Œcum. Trid., Sessio XXII, Doctr. de ss. Missæ sacrificio, cap. 6: Denz-Schönm. 1747.
[21] Cf. Conc. Œcum Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 55.

## Caput I
## DE CELEBRATIONIS EUCHARISTICÆ MOMENTO ET DIGNITATE

16. Celebratio Missæ, ut actio Christi et populi Dei hierarchice ordinati, centrum est totius vitæ christianæ pro Ecclesia tum universa tum locali, ac pro singulis fidelibus.[22] In ea enim culmen habetur et actionis qua Deus in Christo mundum sanctificat, et cultus quem homines exhibent Patri, eum per Christum Dei Filium in Spiritu Sancto adorantes.[23] In ea insuper mysteria redemptionis ita per anni circulum recoluntur, ut quodammodo præsentia reddantur.[24] Ceteræ autem actiones sacræ et omnia opera christianæ vitæ cum ea cohærent, ex ea profluunt et ad eam ordinantur.[25]

17. Maxime proinde interest ut celebratio Missæ seu Cenæ dominicæ ita ordinetur, ut sacri ministri atque fideles, illam pro sua condicione participantes, eos fructus plenius exinde capiant,[26] ad quos obtinendos Christus Dominus sacrificium eucharisticum sui Corporis et sui Sanguinis instituit illudque, velut memoriale passionis et resurrectionis suæ, Ecclesiæ dilectæ sponsæ concredidit.[27]

18. Quod apte fiet si, attentis natura aliisque adiunctis uniuscuiusque cœtus liturgici, universa celebratio ita disponatur, ut consciam illam, actuosam atque plenam participationem fidelium inducat, corporis nempe et animi, fide, spe et caritate ferventem, quæ ab Ecclesia exoptatur et ab ipsa celebrationis natura postulatur, et ad quam populus christianus vi baptismatis ius habet et officium.[28]

19. Quamvis fidelium præsentia et actuosa participatio, quæ ecclesialem celebrationis naturam apertius manifestant,[29] aliquando non possint haberi, eucharistica celebratio sua efficacia et dignitate semper est prædita, quippe quæ sit actus Christi et Ecclesiæ, in quo sacerdos munus suum præcipuum adimplet et semper agit pro salute populi.

Ipsi ergo commendatur ut sacrificium eucharisticum etiam cotidie, pro posse, celebret.[30]

20. Cum autem Eucharistiæ celebratio, sicut et universa Liturgia, fiat per signa sensibilia, quibus fides alitur, roboratur et exprimitur,[31] maxime curandum est eas formas et elementa ab Ecclesia proposita seligi et ordinari, quæ, attentis personarum et locorum adiunctis, actuosam et plenam participationem intensius foveant et fidelium utilitati spirituali aptius respondeant.

[22] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 41; Const. dogm. de Ecclesia, Lumen gentium, n. 11; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, Presbyterorum ordinis, nn. 2, 5, 6; Decr. de pastorali Episcoporum munere, Christus Dominus, n. 30; Decr. de Oecumenismo, Unitatis redintegratio, n. 15; S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, nn. 3 e, 6: A.A.S. 59 (1967) pp. 542, 544-545.
[23] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 10.
[24] Cf. ibidem, n. 102.
[25] Cf. Conc. Œcum. Vat. II. Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 10; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, Presbyterorum ordinis, n. 5.

[26] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, nn. 14, 19, 26, 28, 30.
[27] Cf. ibidem, n. 47.
[28] Cf. ibidem, n. 14.
[29] Cf. ibidem, n. 41.
[30] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, Presbyterorum ordinis, n. 13; Codex Iuris Canonici, can. 904.
[31] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 59.

21. Hæc itaque Institutio eo spectat ut tum lineamenta generalia præbeat, quibus Eucharistiæ celebratio apte ordinetur, tum regulas exponat, quibus singulæ celebrationis formæ disponantur.[32]

22. Summi autem momenti est Eucharistiæ celebratio in Ecclesia particulari. Episcopus enim diœcesanus, primus mysteriorum Dei dispensator in Ecclesia particulari sibi commissa, moderator est, promotor et custos totius vitæ liturgicæ.[33] In celebrationibus quæ, ipso præsidente, aguntur, præsertim vero in celebratione eucharistica, quæ ab ipso agitur, presbyterio, diaconis et populo participantibus, mysterium Ecclesiæ manifestatur. Quare huiusmodi Missarum sollemnia exemplo esse debent universæ diœcesi.

Eius ergo est animum intendere ut presbyteri, diaconi et christifideles laici, genuinum sensum rituum et textuum liturgicorum penitius semper comprehendant et ita ad actuosam et fructuosam Eucharistiæ celebrationem ducantur.

Eundem in finem invigilet ut ipsarum celebrationum dignitas augeatur, ad quam promovendam loci sacri, musicæ et artis pulchritudo quamplurimum conferat.

23. Quo insuper celebratio præscriptis et spiritui sacræ Liturgiæ plenius respondeat, eiusque efficacitas pastoralis augeatur, in hac Institutione generali et in Ordine Missæ, aliquæ accommodationes et aptationes exponuntur.

24. Hæ aptationes, ut plurimum, in electione consistunt quorundam rituum aut textuum, id est cantuum, lectionum, orationum, monitionum et gestuum, qui sint necessitatibus, præparationi et ingenio participantium magis respondentes quique sacerdoti celebranti committuntur. Attamen meminerit sacerdos se servitorem esse sacræ Liturgiæ, sibique quidquam proprio marte in Missæ celebratione addere, demere aut mutare non licere.[34]

25. Insuper in Missali suo loco aptationes quædam innuuntur quæ, iuxta Constitutionem de sacra Liturgia, respective competunt aut Episcopo diœcesano aut Conferentiæ Episcoporum [35] (cf. infra, nn. 387, 388-393).

26. Quod autem ad varietates et aptationes profundiores attinet, quæ ad traditiones et ingenium populorum et regionum attendant, ad mentem art. 40 Constitutionis de sacra Liturgia pro utilitate vel necessitate introducendas, ea serventur quæ in Instructione “ De Liturgia romana et inculturatione ” [36] et infra, (nn. 395-399) exponuntur.

[32] Quoad peculiares Missæ celebrationes servetur quod statutum est: cf. pro Missis in cœtibus particularibus: S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. Actio pastoralis, diei 15 maii 1969: A.A.S. 61 (1969) pp. 806-811; pro Missis cum pueris: Directorium de Missis cum pueris, diei 1 novembris 1973: A.A.S. 66 (1974) pp. 30-46; de modo uniendi Horas Officii cum Missa: Institutio generalis de Liturgia Horarum, nn. 93-98; de modo uniendi quasdam benedictiones et coronationem imaginis beatæ Mariæ Virginis cum Missa: Rituale Romanum, De Benedictionibus, Prænotanda, n. 28; Ordo coronandi imaginem beatæ Mariæ Virginis, nn. 10 et 14.
[33] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere, Christus Dominus, n. 15; cf. etiam Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 41.
[34] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 22.
[35] Cf. etiam Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, nn. 38, 40; Paulus VI, Const. Ap. Missale Romanum, supra.
[36] Congr. de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Instr. Varietates legitimæ, diei 25 ianuarii 1994: A.A.S. 87 (1995) pp. 288-314.

## Caput II
## DE STRUCTURA MISSÆ EIUSQUE ELEMENTIS ET PARTIBUS

## I. DE GENERALI STRUCTURA MISSÆ

27. In Missa seu Cena dominica populus Dei in unum convocatur, sacerdote præside personamque Christi gerente, ad memoriale Domini seu sacrificium eucharisticum celebrandum.[37] Quare de huiusmodi sanctæ Ecclesiæ coadunatione locali eminenter valet promissio Christi: “ Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ” (Mt 18, 20). In Missæ enim celebratione, in qua sacrificium crucis perpetuatur,[38] Christus realiter præsens adest in ipso cœtu in suo nomine congregato, in persona ministri, in verbo suo, et quidem substantialiter et continenter sub speciebus eucharisticis.[39]

28. Missa duabus partibus quodammodo constat, liturgia nempe verbi et liturgia eucharistica, quæ tam arcte inter se coniunguntur, ut unum actum cultus efficiant.[40] Siquidem in Missa mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi paratur e qua fideles instituantur et reficiantur.[41] Quidam autem ritus celebrationem aperiunt et concludunt.

## II. DE DIVERSIS ELEMENTIS MISSÆ

### De lectione verbi Dei eiusque explanatione

29. Cum sacræ Scripturæ in Ecclesia leguntur, Deus ipse ad populum suum loquitur et Christus, præsens in verbo suo, Evangelium annuntiat.
Ideoque lectiones verbi Dei, quæ elementum maximi momenti Liturgiæ præbent, cum veneratione ab omnibus sunt audiendæ. Quamvis autem verbum divinum in lectionibus sacræ Scripturæ ad omnes homines cuiusque temporis dirigatur iisque intellegibile sit, eius tamen plenior intellegentia et efficacitas expositione viva, id est homilia, utpote parte actionis liturgicæ, fovetur.[42]

### De orationibus aliisque partibus ad sacerdotem pertinentibus

30. Inter ea quæ sacerdoti tribuuntur, primum locum obtinet Prex eucharistica, quæ culmen est totius celebrationis. Accedunt deinde orationes, idest collecta, oratio super oblata et oratio post Communionem. Hæ preces a sacerdote, qui cœtui personam Christi gerens præest, ad Deum diriguntur nomine totius

[37] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, Presbyterorum ordinis, n. 5; Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 33.

[38] Cf. Conc. Œcum. Trid., Sessio XXII, Doctr. de ss. Missæ sacrificio, cap. 1: Denz.-Schönm. 1740; cf. Paulus VI, Sollemnis professio fidei, diei 30 iunii 1968, n. 24: A.A.S. 60 (1968) p. 442.

[39] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 7; Paulus VI, Litt. Enc. Mysterium Fidei, diei 3 septembris 1965: A.A.S. 57 (1965) p. 764; S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 9: A.A.S. 59 (1967) p. 547.

[40] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 56; S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 3: A.A.S. 59 (1967) p. 542.

[41] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, nn. 48, 51; Const. dogm. de divina Revelatione, Dei Verbum, n. 21; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, Presbyterorum ordinis, n. 4.

[42] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, nn. 7, 33, 52.

plebis sanctæ et omnium circumstantium.[43] Merito igitur “ orationes præsidentiales ” nominantur.

31. Item ad sacerdotem, munere præsidis cœtus congregati fungentem, spectat proferre quasdam monitiones in ipso ritu prævisas. Ubi a rubricis statuitur, celebranti licet eas aliquatenus aptare ut participantium captui respondeant; curet tamen sacerdos ut sensum monitionis quæ in Missali proponitur ipse semper servet eamque paucis verbis exprimat. Sacerdoti præsidi etiam spectat verbum Dei moderari, necnon benedictionem finalem impertire. Ipsi insuper licet, brevissimis verbis, introducere fideles in Missam diei, post salutationem initialem et ante actum pænitentialem; in liturgiam verbi, ante lectiones; in Precem eucharisticam, ante Præfationem, numquam vero intra Precem ipsam; necnon universam actionem sacram, ante dimissionem, concludere.

32. Natura partium “ præsidentialium ” exigit ut clara et elata voce proferantur et ab omnibus cum attentione auscultentur.[44] Proinde dum sacerdos eas profert aliæ orationes vel cantus non habeantur, atque organum vel alia instrumenta musica sileant.

33. Sacerdos etenim, tamquam præses, nomine Ecclesiæ et congregatæ communitatis preces effundit, aliquando autem nomine dumtaxat suo, ut ministerium suum maiore cum animi attentione et pietate adimpleat. Huiusmodi preces, quæ ante lectionem Evangelii, in præparatione donorum, necnon ante et post sacerdotis Communionem proponuntur, secreto dicuntur.

## De aliis formulis in celebratione occurrentibus

34. Cum Missæ celebratio natura sua indolem “ communitariam ” habeat,[45] dialogis inter sacerdotem et fideles congregatos necnon acclamationibus magna vis inhæret: [46] etenim non sunt tantum signa externa celebrationis communis, sed communionem inter sacerdotem et populum fovent et efficiunt.

35. Acclamationes et responsiones fidelium salutationibus sacerdotis et orationibus illum participationis actuosæ gradum constituunt, qui in omni Missæ forma a fidelibus congregatis præstandus est, ut actio totius communitatis clare exprimatur et foveatur.[47]

36. Aliæ partes, ad actuosam fidelium participationem manifestandam et fovendam valde utiles, quæ universo cœtui convocato tribuuntur, sunt præsertim actus pænitentialis, professio fidei, oratio universalis et Oratio dominica.

37. Demum ex aliis formulis:

a) nonnullæ ritum seu actum per se stantem, uti hymnus Glória, psalmus responsorius, Allelúia et versus ante Evangelium, Sanctus, acclamatio anamneseos, cantus post Communionem, constituunt;

[43] Cf. ibidem, n. 33.
[44] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Musicam sacram, diei 5 martii 1967, n. 14: A.A.S. 59 (1967) p. 304.
[45] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, nn. 26-27; S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 3 d: A.A.S. 59 (1967) p. 542.
[46] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 30.
[47] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Musicam sacram, diei 5 martii 1967, n. 16 a: A.A.S. 59 (1967) p. 305.

b) nonnullæ vero, uti cantus ad introitum, ad offertorium, ad fractionem (Agnus Dei) et ad Communionem, ritum aliquem comitantur.

## De modis proferendi varios textus

38. In textibus clara et elata voce proferendis sive a sacerdote vel diacono sive a lectore sive ab omnibus, vox respondeat generi ipsius textus, prouti hic est lectio, oratio, admonitio, acclamatio, cantus; necnon formæ celebrationis et sollemnitati cœtus. Ratio insuper habeatur indolis diversarum linguarum et ingenii populorum.

In rubricis ergo et in normis quæ sequuntur, verba “ dicere ” vel “ proferre ” intellegi debent sive de cantu sive de recitatione, servatis principiis supra propositis.

## De momento cantus

39. Ab Apostolo monentur christifideles qui in unum conveniunt exspectantes adventum Domini sui, ut una simul cantent psalmis, hymnis et canticis spiritualibus (cf. Col 3, 16). Cantus enim est signum exsultationis cordis (cf. Act 2, 46). Unde S. Augustinus recte dicit: “ cantare amantis est ”,[48] et iam antiquitus in proverbium venit: “ bis orat qui bene cantat ”.

40. Magni ergo fiat usus cantus in Missæ celebratione, attentis ingenio populorum et facultatibus cuiuslibet cœtus liturgici. Quamvis non semper necessarium sit, v. gr. in Missis ferialibus, omnes textus cantu proferre qui per se cantui destinantur, curandum omnino est ne desit cantus ministrorum et populi

in celebrationibus, quæ diebus dominicis et festis de præcepto peraguntur. In seligendis tamen partibus quæ revera canantur, eæ præferendæ sunt quæ maioris sunt momenti, et præsertim, quæ a sacerdote vel a diacono aut lectore, populo respondente, canendæ sunt, aut a sacerdote et populo simul proferendæ.[49]

41. Principem locum obtineat, ceteris paribus, cantus gregorianus, utpote Liturgiæ romanæ proprius. Alia genera musicæ sacræ, præsertim vero polyphonia, minime excluduntur, dummodo spiritui actionis liturgicæ respondeant et participationem omnium fidelium foveant.[50]

Cum frequentius in dies fideles ex diversis nationibus inter se conveniant, expedit ut iidem fideles aliquas saltem partes Ordinarii Missæ, præsertim vero symbolum fidei et Orationem dominicam, modulis adhibitis facilioribus, lingua latina simul cantare sciant.[51]

## De gestibus et corporis habitibus

42. Gestus et corporis habitus tum sacerdotis, diaconi, et ministrorum, tum populi eo contendere debent ut tota celebratio decore nobilique simplicitate ful-

[48] S. Augustinus Hipponensis, Sermo 336, 1: PL 38, 1472.

[49] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Musicam sacram, diei 5 martii 1967, nn. 7, 16: A.A.S. 59 (1967) pp. 302, 305.

[50] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 116; etiam ibidem, n. 30.

[51] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 54; S. Congr. Rituum, Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 59: A.A.S. 56 (1964) p. 891; Instr. Musicam sacram, diei 5 martii 1967, n. 47: A.A.S. 59 (1967) p. 314.

geat, diversarum eius partium vera plenaque significatio percipiatur et omnium participatio foveatur.[52] Attendendum igitur erit ad ea quæ ab hac Institutione generali et tradita praxi Ritus romani definiuntur, et quæ ad commune bonum spirituale populi Dei conferant, potius quam ad privatam propensionem aut arbitrium.

Communis corporis habitus, ab omnibus participantibus servandus, signum est unitatis membrorum communitatis christianæ ad sacram Liturgiam congregatorum: mentem enim et sensus animi participantium exprimit eosdemque fovet.

43. Fideles stent ab initio cantus ad introitum, vel dum sacerdos accedit ad altare, usque ad collectam inclusive; ad cantum Allelúia ante Evangelium; dum ipsum Evangelium proclamatur; dum professio fidei et oratio universalis fiunt; necnon ab invitatione Oráte fratres ante orationem super oblata usque ad finem Missæ, præter ea quæ infra dicuntur.

Sedeant autem dum proferuntur lectiones ante Evangelium et psalmus responsorius; ad homiliam et dum fit præparatio donorum ad offertorium; atque, pro opportunitate, dum sacrum silentium post Communionem servatur.

Genuflectant vero, nisi valetudinis causa, vel ob angustiam loci vel frequentiorem numerum adstantium aliasve rationabiles causas impediantur, ad consecrationem. Hi vero qui non genuflectunt ad consecrationem, inclinationem profundam peragant dum sacerdos genuflectit post consecrationem.

Est tamen Conferentiæ Episcoporum, gestus et corporis habitus in Ordine Missæ descriptos ingenio et rationabilibus populorum traditionibus ad normam iuris aptare.[53] Attendendum tamen erit, ut sensui et indoli cuiusque partis celebrationis respondeant. Ubi mos est, populum ab acclamatione Sanctus expleta usque ad finem Precis eucharisticæ et ante Communionem quando sacerdos dicit Ecce Agnus Dei genuflexum manere, hic laudabiliter retinetur.

Ad uniformitatem in gestibus et corporis habitibus in una eademque celebratione obtinendam, fideles monitionibus obtemperent, quas diaconus, vel minister laicus, vel sacerdos proferunt, iuxta ea quæ in Missali statuuntur.

44. In gestibus numerantur etiam actiones et processiones, quibus sacerdos cum diacono, et ministris, ad altare adit; diaconus ante Evangelii proclamationem Evangeliarium seu Librum evangeliorum ad ambonem defert; fideles dona

afferunt et ad Communionem accedunt. Convenit ut huiusmodi actiones et processiones decore peragantur, dum cantus ipsis proprii fiunt, iuxta normas pro singulis statutas.

### De silentio

45. Sacrum quoque silentium, tamquam pars celebrationis, suo tempore est servandum.[54] Eius autem natura a tempore pendet, quo in singulis celebrationibus occurrit. In actu enim pænitentiali et post invitationem ad orandum singuli ad seipsos convertuntur; lectione autem vel homilia peracta, ea quæ audierunt

[52] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, nn. 30, 34; cf. ibidem etiam n. 21.
[53] Cf. ibidem, n. 40; Congr. de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Instr. Varietates legitimæ, diei 25 ianuarii 1994, n. 41: A.A.S. 87 (1995) p. 304.
[54] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 30; S. Congr. Rituum, Instr. Musicam sacram, diei 5 martii 1967, n. 17: A.A.S. 59 (1967) p. 305.

breviter meditantur; post Communionem vero in corde suo Deum laudant et orant.

Iam ante ipsam celebrationem silentium laudabiliter servatur in ecclesia, in sacristia, in secretario et in locis ipsis propinquioribus, ut omnes se ad sacra peragenda devote et rite disponantur.

## III. DE SINGULIS MISSÆ PARTIBUS

### A) Ritus initiales

46. Ritus qui liturgiam verbi præcedunt, scilicet introitus, salutatio, actus pænitentialis, Kýrie, Glória et collecta, characterem habent exordii, introductionis et præparationis.

Finis eorum est, ut fideles in unum convenientes communionem constituant et recte ad verbum Dei audiendum digneque Eucharistiam celebrandam sese disponant.

In quibusdam celebrationibus, quæ cum Missa ad normam librorum liturgicorum conectuntur, ritus initiales omittuntur aut modo peculiari peraguntur.

### Introitus

47. Populo congregato, dum ingreditur sacerdos cum diacono et ministris, cantus ad introitum incipitur. Finis huius cantus est celebrationem aperire, unionem congregatorum fovere, eorumque mentem in mysterium temporis liturgici vel festivitatis introducere atque processionem sacerdotis ministrorumque comitari.

48. Peragitur autem a schola et populo alternatim, vel simili modo a cantore et populo, vel totus a populo vel a schola sola. Adhiberi potest sive antiphona cum suo psalmo in Graduali romano vel in Graduali simplici exstans, sive alius cantus, actioni sacræ, diei vel temporis indoli congruus,[55] cuius textus a Conferentia Episcoporum sit approbatus.

Si ad introitum non habetur cantus, antiphona in Missali proposita recitatur sive a fidelibus, sive ab aliquibus ex ipsis, sive a lectore, sin aliter ab ipso sacerdote, qui potest etiam in modum monitionis initialis (cf. n. 31) eam aptare.

### Salutatio altaris et populi congregati

49. Cum ad presbyterium pervenerint, sacerdos, diaconus, et ministri altare salutant profunda inclinatione.

Venerationis autem significandæ causa, sacerdos et diaconus ipsum altare deinde osculantur; et sacerdos, pro opportunitate, crucem et altare incensat.

50. Expleto cantu ad introitum, sacerdos, stans ad sedem, una cum universo cœtu signat se signo crucis; deinde communitati congregatæ præsentiam Domini per salutationem significat. Qua salutatione et populi responsione manifestatur Ecclesiæ congregatæ mysterium.

Salutatione populi facta, sacerdos, vel diaconus, vel minister laicus potest

brevissimis verbis introducere fideles in Missam diei.
[55] Cf. Ioannes Paulus II, Litt. Ap. Dies Domini, diei 31 maii 1998, n. 50: A.A.S. 90 (1998) p. 745.

## Actus pænitentialis

51. Postea sacerdos invitat ad actum pænitentialem, qui, post brevem pausam silentii, a tota communitate formula confessionis generalis perficitur, et sacerdotis absolutione concluditur, quæ tamen efficacia sacramenti Pænitentiæ caret.
Die dominica, præsertim tempore paschali, loco consueti actus pænitentialis, quandoque fieri potest benedictio et aspersio aquæ in memoriam baptismi.[56]

## Kyrie, eleison

52. Post actum pænitentialem incipitur semper Kýrie eléison, nisi forte locum iam habuerit in ipso actu pænitentiali. Cum sit cantus quo fideles Dominum acclamant eiusque misericordiam implorant, peragitur de more ab omnibus, partem nempe in eo habentibus populo atque schola vel cantore.
Acclamatio quæque de more bis repetitur, maiore tamen numero non excluso, ratione ingenii diversarum linguarum necnon musicæ artis vel rerum adiunctorum. Quando Kýrie cantatur ut pars actus pænitentialis, singulis acclamationibus “ tropus ” præponitur.

## Gloria in excelsis

53. Glória est antiquissimus et venerabilis hymnus, quo Ecclesia, in Spiritu Sancto congregata, Deum Patrem atque Agnum glorificat eique supplicat. Huius hymni textus cum alio commutari nequit. Inchoatur a sacerdote vel, pro opportunitate, a cantore, aut a schola, cantatur autem vel ab omnibus simul, vel a populo alternatim cum schola, vel ab ipsa schola. Si non cantatur, recitandum est ab omnibus simul aut a duobus choris sibi invicem respondentibus.
Cantatur autem vel dicitur diebus dominicis extra tempus Adventus et Quadragesimæ, necnon in sollemnitatibus et festis, et in peculiaribus celebrationibus sollemnioribus.

## Collecta

54. Deinde sacerdos populum ad orandum invitat; et omnes una cum sacerdote parumper silent, ut conscii fiant se in conspectu Dei stare, et vota sua in animo possint nuncupare. Tunc sacerdos profert orationem, quæ solet “ collecta ” nominari, et per quam indoles celebrationis exprimitur. Ex antiqua traditione Ecclesiæ, oratio collecta de more ad Deum Patrem, per Christum in Spiritu Sancto, dirigitur [57] et conclusione trinitaria, idest longiore, concluditur, hoc modo:
– si dirigitur ad Patrem: Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum;
– si dirigitur ad Patrem, sed in fine ipsius fit mentio Filii: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum;
– si dirigitur ad Filium: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.
Populus, precationi se coniungens, acclamatione Amen orationem facit suam.
In Missa semper unica dicitur collecta.
[56] Cf. infra, pp. 1249-1252.
[57] Cf. Tertullianus, Adversus Marcionem, IV, 9: CCSL 1, p. 560; Origenes, Disputatio cum Heracleida, n. 4, 24: SCh 67, p. 62; Statuta Concilii Hipponensis Breviata, 21: CCSL 149, p. 39.

## B) Liturgia verbi

55. Partem præcipuam liturgiæ verbi constituunt lectiones e sacra Scriptura desumptæ cum cantibus inter eas occurrentibus; homilia autem, professio fidei et oratio universalis seu oratio fidelium illam evolvunt et concludunt. Nam in lectionibus, quas homilia exponit, Deus populum suum alloquitur,[58] mysterium redemptionis et salutis patefacit, atque nutrimentum spirituale offert; et ipse Christus per verbum suum in medio fidelium præsens adest.[59] Hoc verbum divinum

populus suum facit silentio et cantibus, atque ipsi adhæret professione fidei; eo autem nutritus, oratione universali pro necessitatibus totius Ecclesiæ et pro totius mundi salute preces fundit.

## Silentium

56. Liturgia verbi ita celebranda est ut faveat meditationi, ideo plane vitanda est omnis forma festinationis quæ recollectionem impediat. In ea conveniunt etiam brevia momenta silentii, cœtui congregato accommodata, quibus, Spiritu Sancto fovente, Dei verbum corde percipiatur, ac responsio per orationem præparetur. Quæ momenta silentii opportune servari possunt, ex. gr., antequam inchoetur ipsa liturgia verbi, post primam et secundam lectionem, peracta denique homilia.[60]

## Lectiones biblicæ

57. In lectionibus mensa verbi Dei paratur fidelibus et thesauri biblici eis aperiuntur.[61] Præstat proinde lectionum biblicarum dispositionem servari, qua unitas utriusque Testamenti et historiæ salutis illustratur; neque fas est lectiones et psalmum responsorium, quæ verbum Dei continent, cum aliis textibus non biblicis commutari.[62]

58. In celebratione Missæ cum populo, lectiones semper ex ambone proferuntur.

59. Munus lectiones proferendi ex traditione non est præsidentiale sed ministeriale. Lectiones ergo a lectore proferantur, Evangelium autem a diacono vel, eo absente, ab alio sacerdote annuntietur. Si tamen diaconus vel alius sacerdos præsto non sit, ipse sacerdos celebrans Evangelium legat; et si alius quoque idoneus lector absit, sacerdos celebrans etiam alias lectiones proferat.
Post singulas lectiones qui legit profert acclamationem, cui respondens, populus congregatus honorem tribuit verbo Dei fide et grato animo recepto.

60. Lectio Evangelii culmen constituit liturgiæ verbi. Maximam venerationem illi esse tribuendam, ipsa Liturgia docet, cum eam præ ceteris lectionibus speciali honore insigniat, sive ex parte ministri ad eam annuntiandam deputati et per benedictionem vel orationem sese præparantis; sive ex parte fidelium, qui per acclamationes Christum præsentem sibique loquentem agnoscunt et profitentur, et lectionem ipsam stantes auscultant; sive ex ipsis signis venerationis Evangeliario tributis.

[58] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 33.
[59] Cf. ibidem, n. 7.
[60] Cf. Missale Romanum, Ordo lectionum Missae, editio typica altera, n. 28.
[61] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 51.
[62] Cf. Ioannes Paulus II, Litt. Ap. Vicesimus quintus annus, diei 4 decembris 1988, n. 13: A.A.S. 81 (1989) p. 910.

## Psalmus responsorius

61. Post primam lectionem sequitur psalmus responsorius, qui est pars integralis liturgiæ verbi et magnum momentum liturgicum et pastorale præ se fert, cum verbi Dei meditationem foveat.
Psalmus responsorius unicuique lectioni respondeat et e lectionario de more sumatur.
Præstat psalmum responsorium cantu proferri, saltem ad populi responsum quod attinet. Psalmista proinde, seu cantor psalmi, in ambone vel alio loco apto profert versus psalmi, tota congregatione sedente et auscultante, immo de more per responsum participante, nisi psalmus modo directo, idest sine responso, proferatur. Ut autem populus responsum psalmodicum facilius proferre valeat, textus aliqui responsorum et psalmorum pro diversis temporibus anni aut pro diversis ordinibus Sanctorum selecti sunt, qui adhiberi valent, loco textus lectioni respondentis, quoties psalmus cantu profertur. Si psalmus cani non potest, recitatur modo aptiore ad meditationem verbi Dei fovendam.
Loco psalmi in lectionario assignati cani potest etiam vel responsorium graduale

e Graduali romano, vel psalmus responsorius aut alleluiaticus e Graduali simplici, sicut in his libris describuntur.

## Acclamatio ante lectionem Evangelii

62. Post lectionem, quæ immediate Evangelium præcedit, canitur Allelúia vel alius cantus a rubricis statutus, prouti tempus liturgicum postulat. Huiusmodi acclamatio ritum seu actum per se stantem constituit, quo fidelium cœtus Dominum sibi in Evangelio locuturum excipit atque salutat fidemque suam cantu profitetur. Cantatur ab omnibus stantibus, schola vel cantore præeunte, et si casus fert, repetitur; versus vero a schola vel a cantore canitur.

a) Allelúia cantatur omni tempore extra Quadragesimam. Versus sumuntur e lectionario vel e Graduali.

b) Tempore Quadragesimæ, loco Allelúia cantatur versus ante Evangelium in lectionario exhibitus. Cani etiam potest alius psalmus seu tractus, prout invenitur in Graduali.

63. Quando una tantum habetur lectio ante Evangelium:

a) tempore quo dicendum est Allelúia, haberi potest aut psalmus alleluiaticus, aut psalmus et Allelúia cum suo versu;

b) tempore quo Allelúia non est dicendum, haberi potest aut psalmus et versus ante Evangelium aut psalmus tantum;

c) Allelúia vel versus ante Evangelium, si non cantantur, omitti possunt.

64. Sequentia, quæ præter quam diebus Paschæ et Pentecostes, est ad libitum, cantatur ante Allelúia.

## Homilia

65. Homilia est pars Liturgiæ et valde commendatur: [63] est enim ad nutrimentum vitæ christianæ necessaria. Sit oportet explicatio aut alicuius aspectus lectionum sacræ Scripturæ aut alterius textus ex Ordinario vel Proprio Missæ

[63] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 52; cf. Codex Iuris Canonici, can. 767 § 1.

diei, ratione habita sive mysterii, quod celebratur, sive peculiarium necessitatum auditorum.[64]

66. Homilia de more ab ipso sacerdote celebrante habeatur vel ab eo committatur sacerdoti concelebranti, vel quandoque, pro opportunitate, etiam diacono, numquam vero laico.[65] In casibus peculiaribus iustaque de causa homilia haberi potest etiam ab Episcopo vel presbytero qui celebrationi interest quin concelebrare possit.

Diebus dominicis et festis de præcepto homilia habenda est nec omitti potest nisi gravi de causa, in omnibus Missis, quæ concurrente populo celebrantur; ceteris vero diebus commendatur, præsertim in feriis Adventus, Quadragesimæ et temporis paschalis, necnon in aliis festis et occasionibus, in quibus populus frequentior ad ecclesiam convenit.[66]

Opportune post homiliam breve spatium silentii servatur.

## Professio fidei

67. Symbolum seu professio fidei eo tendit ut universus populus congregatus verbo Dei in lectionibus e sacra Scriptura nuntiato et per homiliam exposito respondeat, et ut, regulam fidei proferendo, formula pro usu liturgico probata, magna fidei mysteria recolat et confiteatur, antequam eorum celebratio in Eucharistia incipiatur.

68. Symbolum cantandum vel dicendum est a sacerdote cum populo diebus dominicis et in sollemnitatibus; dici potest etiam in peculiaribus celebrationibus sollemnioribus.

Si in cantu profertur, inchoatur a sacerdote vel, pro opportunitate, a cantore, aut a schola, cantatur autem vel ab omnibus simul, vel a populo alternatim cum schola.

Si non cantatur, recitandum est ab omnibus simul aut a duobus choris sibi

invicem respondentibus.

## Oratio universalis

69. In oratione universali, seu oratione fidelium, populus, verbo Dei in fide suscepto quodammodo respondet et, sui sacerdotii baptismalis munus exercens, preces Deo offert pro salute omnium. Expedit ut huiusmodi oratio in Missis cum populo de more habeatur, ita ut obsecrationes fiant pro sancta Ecclesia, pro iis qui in potestate nos regunt, pro iis qui variis premuntur necessitatibus, ac pro omnibus hominibus totiusque mundi salute.[67]

70. Intentionum series de more sint:

a) pro necessitatibus Ecclesiæ,

b) pro rem publicam moderantibus et salute totius mundi,

[64] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 54: A.A.S. 56 (1964) p. 890.

[65] Cf. Codex Iuris Canonici, can 767 § 1; Pont. Comm. Codici Iuris Canonici authentice interpretando, respons. ad dubium circa can. 767 § 1: A.A.S. 79 (1987), p. 1249; Instructio interdicasterialis de quibusdam quæstionibus circa fidelium laicorum cooperationem sacerdotum ministerium spectantem, Ecclesiæ de mysterio, diei 15 augusti 1997, art. 3: A.A.S. 89 (1997) p. 864.

[66] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 53: A.A.S. 56 (1964) p. 890.

[67] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 53.

c) pro oppressis quacumque difficultate,

d) pro communitate locali.

Attamen in celebratione aliqua particulari, uti Confirmatione, Matrimonio, Exsequiis, ordo intentionum pressius respicere potest particularem occasionem.

71. Est sacerdotis celebrantis precationem a sede moderari. Ipse eam brevi monitione introducit, qua fideles ad orandum invitat, ipsamque oratione concludit. Intentiones quæ proponuntur sint sobriæ, sapienti libertate et paucis verbis compositæ et precationem universæ communitatis exprimant.

Proferuntur ex ambone aut ex alio loco convenienti, a diacono vel a cantore vel a lectore, vel a fideli laico.[68]

Populus vero stans precationem suam exprimit sive invocatione communi post singulas intentiones prolatas, sive orando sub silentio.

## C) Liturgia eucharistica

72. In Cena novissima, Christus sacrificium et convivium paschale instituit, quo sacrificium crucis in Ecclesia continue præsens efficitur, cum sacerdos, Christum Dominum repræsentans, idem perficit quod ipse Dominus egit atque discipulis in sui memoriam faciendum tradidit.[69]

Christus enim accepit panem et calicem, gratias egit, fregit deditque discipulis suis, dicens: Accipite, manducate, bibite; hoc est Corpus meum; hic est calix Sanguinis mei. Hoc facite in meam commemorationem. Proinde Ecclesia totam celebrationem Liturgiæ eucharisticæ partibus hisce Christi verbis et actibus respondentibus ordinavit. Siquidem:

1) In præparatione donorum, ad altare afferuntur panis et vinum cum aqua, ea nempe elementa, quæ Christus in manus suas accepit.

2) In Prece eucharistica Deo pro toto opere salutis gratiæ aguntur, et oblata Christi Corpus et Sanguis fiunt.

3) Per fractionem panis et per Communionem fideles, quamvis multi, ex uno pane accipiunt Corpus et ex uno calice Sanguinem Domini eodem modo ac Apostoli de manibus ipsius Christi.

## Præparatio donorum

73. Initio Liturgiæ eucharisticæ dona, quæ Corpus et Sanguis Christi efficientur, ad altare afferuntur.

Imprimis altare, seu mensa dominica, quæ centrum est totius liturgiæ eucharisticæ, [70] præparatur, cum corporale, purificatorium, missale et calix, nisi ad abacum paratur, in eo collocantur.

Oblationes deinde afferuntur: panis et vinum laudabiliter a fidelibus præsentantur, a sacerdote autem vel a diacono loco opportuno accipiuntur ad altare deferenda. Quamvis fideles panem et vinum ad liturgiam destinata non iam de

[68] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 56: A.A.S. 56 (1964) p. 890.

[69] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 47; S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, nn. 3 a, b: A.A.S. 59 (1967) pp. 540-541.

[70] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 91: A.A.S. 56 (1964) p. 898; Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 24: A.A.S. 59 (1967) p. 554.

suis proferant sicut olim, ritus tamen illa deferendi vim et significationem spiritualem servat.

Etiam pecunia vel alia dona pro pauperibus vel pro ecclesia a fidelibus allata vel in ecclesia collecta accepta habentur; quapropter loco apto extra mensam eucharisticam collocantur.

74. Processionem, qua dona afferuntur, cantus ad offertorium comitatur (cf. n. 37, b), qui protrahitur saltem usquedum dona super altare deposita sunt. Normæ de modo cantandi eædem sunt ac pro cantu ad introitum (cf. n. 48). Cantus potest semper ritus ad offertorium sociare, etiam sine processione cum donis.

75. Panis et vinum super altare a sacerdote deponuntur comitantibus formulis statutis; sacerdos dona super altare collocata incensare potest, dein crucem et ipsum altare, ut oblatio Ecclesiæ eiusque oratio sicut incensum in conspectum Dei ascendere significentur. Deinde sacerdos, propter sacrum ministerium, et populus, ratione baptismalis dignitatis, incensari possunt a diacono vel ab alio ministro.

76. Deinde sacerdos manus lavat ad latus altaris, quo ritu desiderium internæ purificationis exprimitur.

## Oratio super oblata

77. Depositione oblatorum facta et ritibus qui eam comitantur perfectis, per invitationem ad orandum una cum sacerdote et per orationem super oblata præparatio donorum concluditur et Prex eucharistica præparatur.

In Missa unica dicitur oratio super oblata, quæ concluditur conclusione breviore, idest: Per Christum Dóminum nostrum; si vero in fine ipsius fit mentio Filii: Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Populus, precationi se coniungens, acclamatione Amen orationem facit suam.

## Prex eucharistica

78. Nunc centrum et culmen totius celebrationis initium habet, ipsa nempe Prex eucharistica, prex scilicet gratiarum actionis et sanctificationis. Sacerdos populum ad corda versus Dominum in oratione et gratiarum actione elevanda invitat eumque sibi sociat in oratione, quam nomine totius communitatis per Iesum Christum in Spiritu Sancto ad Deum Patrem dirigit. Sensus autem huius orationis est, ut tota congregatio fidelium se cum Christo coniungat in confessione magnalium Dei et in oblatione sacrificii. Prex eucharistica exigit ut omnes reverentia et silentio eam auscultent.

79. Præcipua elementa e quibus Prex eucharistica constat, hoc modo distingui possunt:

a) Gratiarum actio (quæ præsertim in Præfatione exprimitur), in qua sacerdos nomine totius populi sancti Deum Patrem glorificat et ei gratias agit pro toto opere salutis vel aliqua eius ratione particulari, secundum diversitatem diei, festivitatis vel temporis.

b) Acclamatio: qua tota congregatio, cælestibus virtutibus se iungens, cantat Sanctus. Hæc acclamatio, quæ partem ipsius Precis eucharisticæ constituit, ab omni populo cum sacerdote profertur.

c) Epiclesis: qua per invocationes peculiares Ecclesia Spiritus Sancti virtutem implorat, ut dona ab hominibus oblata consecrentur, seu Corpus et Sanguis Christi fiant, et ut hostia immaculata, in Communione sumenda, sit in salutem eorum qui illam participaturi sunt.

d) Narratio institutionis et consecratio: verbis et actionibus Christi sacrificium peragitur, quod ipse Christus in Cena novissima instituit, cum suum Corpus et Sanguinem sub speciebus panis et vini obtulit, Apostolisque manducandum et bibendum dedit et iis mandatum reliquit idem mysterium perpetuandi.

e) Anamnesis: per quam, mandatum adimplens, quod a Christo Domino per Apostolos accepit, Ecclesia memoriam ipsius Christi agit, recolens præcipue eius beatam passionem, gloriosam resurrectionem et ad cælos ascensionem.

f) Oblatio: per quam in ipsa hac memoria Ecclesia, eaque præsertim hic et nunc congregata, in Spiritu Sancto hostiam immaculatam Patri offert. Intendit vero Ecclesia ut fideles non solummodo immaculatam hostiam offerant sed etiam seipsos offerre discant,[71] et de die in diem consummentur, Christo mediatore, in unitatem cum Deo et inter se, ut sit tandem Deus omnia in omnibus.[72]

g) Intercessiones: per quas exprimitur Eucharistiam celebrari in communione cum tota Ecclesia tam cælesti quam terrestri, oblationemque fieri pro ipsa et omnibus eius membris vivis atque defunctis, quæ ad participandam redemptionem et salutem per Christi Corpus et Sanguinem acquisitam vocata sunt.

h) Doxologia finalis: qua glorificatio Dei exprimitur, quæque acclamatione Amen populi confirmatur et concluditur.

## Ritus Communionis

80. Cum celebratio eucharistica convivium paschale sit, expedit ut, iuxta mandatum Domini, Corpus et Sanguis eius a fidelibus rite dispositis ut cibus spiritualis accipiantur. Ad hoc tendunt fractio aliique ritus præparatorii, quibus fideles ad Communionem immediate adducuntur.

### Oratio dominica

81. In Oratione dominica panis cotidianus petitur, quo christianis præcipue panis eucharisticus innuitur, atque purificatio a peccatis imploratur, ita ut sancta revera sanctis dentur. Sacerdos invitationem ad orationem profert, omnes vero fideles orationem una cum sacerdote dicunt, et sacerdos solus embolismum adiungit, quem populus doxologia concludit. Embolismus, ultimam petitionem ipsius Orationis dominicæ evolvens, liberationem a potestate mali pro tota communitate fidelium expetit.

Invitatio, oratio ipsa, embolismus et doxologia qua populus hæc concludit, cantu vel clara voce proferuntur.

### Ritus pacis

82. Sequitur ritus pacis, quo Ecclesia pacem et unitatem pro se ipsa et universa hominum familia implorat et fideles ecclesialem communionem mutuamque caritatem sibi exprimunt, priusquam Sacramento communicent.

[71] Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 48; S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 12: A.A.S. 59 (1967) pp. 548-549.

[72] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 48; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, Presbyterorum ordinis, n. 5; S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 12: A.A.S. 59 (1967) pp. 548-549.

Ad ipsum signum pacis tradendæ quod attinet, modus a Conferentiis Episcoporum, secundum ingenium et mores populorum, statuatur. Convenit tamen ut unusquisque solummodo sibi propinquioribus sobrie pacem significet.

### Fractio panis

83. Sacerdos panem eucharisticum frangit, adiuvante, si casus fert, diacono vel concelebrante. Gestus fractionis a Christo in ultima cena peractus, qui tempore apostolico toti actioni eucharisticæ nomen dedit, significat fideles multos in Communione ex uno pane vitæ, qui est Christus pro mundi salute mortuus

et resurgens, unum corpus effici (1 Cor 10, 17). Fractio inchoatur post pacem traditam, et debita cum reverentia peragitur, ne tamen innecessarie protrahatur nec immoderato momento æstimetur. Ritus iste sacerdoti et diacono reservatur. Sacerdos panem frangit et partem hostiæ in calicem immittit, ad significandam unitatem Corporis et Sanguinis Domini, in opere salutis, scilicet Corporis Christi Iesu viventis et gloriosi. Supplicatio Agnus Dei a schola vel a cantore, populo respondente, de more cantatur, vel saltem elata voce dicitur. Invocatio fractionem panis comitatur, quare repeti potest quoties necesse est adusque ritum peractum. Ultima vice concluditur verbis dona nobis pacem.

## Communio

84. Sacerdos oratione secreta se præparat, ut Corpus et Sanguinem Christi fructuose accipiat. Fideles idem faciunt silentio orantes.

Deinde sacerdos panem eucharisticum super patenam vel super calicem fidelibus ostendit eosque ad Christi convivium invitat; simul autem cum fidelibus actum humilitatis, verbis utens evangelicis præscriptis, elicit.

85. Valde optandum est, ut fideles, sicut et ipse sacerdos facere tenetur, ex hostiis, in eadem Missa consecratis, Corpus dominicum accipiant et in casibus prævisis calicem (cf. n. 283) participent, quo etiam per signa Communio melius appareat participatio sacrificii, quod actu celebratur.[73]

86. Dum sacerdos sumit Sacramentum, inchoatur cantus ad Communionem, cuius est spiritualem unionem communicantium per unitatem vocum exprimere, gaudium cordis demonstrare et indolem “ communitariam ” processionis ad Eucharistiam suscipiendam magis in lucem ponere. Cantus protrahitur, dum fidelibus Sacramentum ministratur.[74] Si tamen hymnus post Communionem habetur, cantus ad Communionem tempestive claudatur.

Curetur ut etiam cantores commode communicare possint.

87. Pro cantu ad Communionem adhiberi potest aut antiphona ex Graduali romano sive cum psalmo sive sola, aut antiphona cum psalmo e Graduali simplici, aut alius cantus congruus a Conferentia Episcoporum approbatus. Cantatur sive a schola sola, sive a schola vel cantore cum populo.

Si autem non habetur cantus, antiphona in Missali proposita recitari potest sive a fidelibus, sive ab aliquibus ex ipsis, sive a lectore, sin aliter ab

[73] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, nn. 31, 32: A.A.S. 59 (1967) pp. 558-559; S. Congr. de Disciplina Sacramentorum, Instr. Immensæ caritatis, diei 29 ianuarii 1973, n. 2: A.A.S. 65 (1973) pp. 267-268.

[74] Cf. S. Congr. pro Sacramentis et Cultu Divino, Instr. Inæstimabile donum, diei 3 aprilis 1980, n. 17: A.A.S. 72 (1980) p. 338.

ipso sacerdote postquam ipse communicavit, antequam Communionem distribuat fidelibus.

88. Distributione Communionis expleta, pro opportunitate, sacerdos et fideles per aliquod temporis spatium secreto orant. Si placet, etiam psalmus vel aliud laudis canticum vel hymnus a tota congregatione persolvi potest.

89. Ad precationem populi Dei complendam, necnon totum ritum Communionis concludendum, sacerdos orationem post Communionem profert, in qua pro fructibus mysterii celebrati deprecatur.

In Missa unica dicitur oratio post Communionem, quæ terminatur conclusione breviore, idest:

– si dirigitur ad Patrem: Per Christum Dóminum nostrum;
– si dirigitur ad Patrem, sed in fine ipsius fit mentio Filii: Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum;
– si dirigitur ad Filium: Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

Populus acclamatione Amen orationem facit suam.

## D) Ritus conclusionis

90. Ad ritus conclusionis pertinent:

a) breves notitiæ, si necessariæ sint;
b) salutatio et benedictio sacerdotis, quæ quibusdam diebus et occasionibus oratione super populum vel alia sollemniore formula ditatur et exprimitur;
c) dimissio populi ex parte diaconi vel sacerdotis, ut unusquisque ad opera sua bona revertatur, collaudans et benedicens Deum;
d) osculatio altaris ex parte sacerdotis et diaconi et deinde inclinatio profunda ad altare ex parte sacerdotis, diaconi, aliorumque ministrorum.

## Caput III
## DE OFFICIIS ET MINISTERIIS IN MISSA

91. Celebratio eucharistica est actio Christi et Ecclesiæ, scilicet plebis sanctæ sub Episcopo adunatæ et ordinatæ. Quare ad universum Corpus Ecclesiæ pertinet illudque manifestat et afficit; singula vero membra ipsius diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum, et actualis participationis attingit.[75] Hoc modo populus christianus, " genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis ", suam cohærentem et hierarchicam ordinationem manifestat.[76] Omnes ergo sive ministri ordinati sive christifideles laici, munere vel officio suo fungentes, solum et totum id agant, quod ad ipsos pertinet.[77]

### I. DE OFFICIIS ORDINIS SACRI

92. Omnis legitima Eucharistiæ celebratio dirigitur ab Episcopo, sive per seipsum, sive per presbyteros adiutores ipsius.[78]
Cum Episcopus Missæ interest, ubi populus est congregatus, maxime decet ipsum Eucharistiam celebrare, et presbyteros, ut concelebrantes, sibi in actione sacra consociare. Quod fit non ad sollemnitatem exteriorem ritus augendam, sed ad significandum vividiore luce mysterium Ecclesiæ, " unitatis sacramentum ".[79]
Si vero Episcopus Eucharistiam non celebrat, sed alii hoc faciendum attribuit, tunc convenienter ipse, cruce pectorali, stola et pluviali super albam indutus, liturgiæ verbi præsidet, et in fine Missæ benedictionem impertit.[80]

93. Etiam presbyter, qui in Ecclesia sacra Ordinis potestate pollet sacrificium in persona Christi offerendi,[81] exinde populo fideli hic et nunc congregato præest, eius orationi præsidet, illi nuntium salutis proclamat, populum sibi sociat in offerendo sacrificio per Christum in Spiritu Sancto Deo Patri, fratribus suis panem vitæ æternæ dat, ipsumque cum illis participat. Cum igitur Eucharistiam celebrat, debet Deo et populo cum dignitate et humilitate servire, et in modo se gerendi et verba divina proferendi præsentiam vivam Christi fidelibus insinuare.

94. Post presbyterum diaconus, vi sacræ ordinationis acceptæ, primum locum obtinet inter eos qui in celebratione eucharistica ministrant. Sacer enim diaconatus Ordo iam a prisca Apostolorum ætate in Ecclesia in magno honore habitus est.[82] In Missa diaconus proprias habet partes in Evangelio nuntiando et quandoque verbo Dei prædicando, in orationis universalis intentiones enuntiando, in ministrando sacerdoti, in altare apparando et sacrificii celebrationi inser-

[75] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 26.
[76] Cf. ibidem, n. 14.
[77] Cf. ibidem, n. 28.
[78] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, Lumen gentium, nn. 26, 28; Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 42.
[79] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 26.
[80] Cf. Cæremoniale Episcoporum, nn. 175-186.
[81] Cf. Conc. Œcum. Vat. II. Const. dogm. de Ecclesia, Lumen gentium, n. 28; Decretum de Presbyterorum ministerio et vita, Presbyterorum ordinis, n. 2.
[82] Cf. Paulus VI, Litt. Ap. Sacrum diaconatus Ordinem, diei 18 iunii 1967: A.A.S. 59 (1967) pp. 697-704; Pontificale Romanum, De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum, editio typica altera, 1989, n. 173.

viendo, in Eucharistia fidelibus distribuenda, præcipue sub specie vini, et in gestibus

et corporis habitibus populi aliquando innuendis.

## II. DE MUNERIBUS POPULI DEI

95. In celebratione Missæ fideles efficiunt plebem sanctam, populum acquisitionis et sacerdotium regale, ut gratias Deo agant et immaculatam hostiam, non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso offerant et seipsos offerre discant.[83] Curent autem id manifestare per profundum sensum religiosum et per caritatem erga fratres, qui eandem celebrationem participant.
Vitent proinde omnes species vel singulariæ vitæ vel divisionis, præ oculis habentes se unicum Patrem habere in cælis, omnesque propterea esse inter se fratres.

96. Unum autem corpus efficiant sive verbum Dei audiendo, sive in orationibus et in cantu partem habendo, sive præsertim in communi oblatione sacrificii et in communi participatione mensæ Domini. Hæc unitas pulchre apparet ex gestibus et corporis habitibus a fidelibus communiter servatis.

97. Ne renuant autem fideles populo Dei cum gaudio servire, quoties rogantur, ut aliquod peculiare ministerium vel munus in celebratione præstent.

## III. DE MINISTERIIS PECULIARIBUS

### De ministerio acolythi et lectoris institutorum

98. Acolythus instituitur ad servitium altaris et in adiutorium sacerdotis et diaconi. Ipsius præcipue est altare atque vasa sacra parare et, si necesse est, Eucharistiam, cuius est minister extraordinarius, fidelibus distribuere.[84]
In ministerio altaris, acolythus partes proprias habet (cf. nn. 187-193) quas ipse exercere debet.

99. Lector instituitur ad proferendas lectiones sacræ Scripturæ, Evangelio excepto. Potest etiam intentiones orationis universalis proponere et, deficiente psalmista, psalmum inter lectiones proferre.
In celebratione eucharistica lector proprium munus habet (cf. nn. 194-198), quod ipse per se exercere debet.

### De ceteris muneribus

100. Deficiente acolytho instituto, ad servitium altaris et in adiutorium sacerdotis et diaconi deputari possunt ministri laici qui crucem, cereos, thuribulum, panem, vinum, aquam deferunt, vel etiam ad sacram Communionem distribuendam deputantur ut ministri extraordinarii.[85]

[83] Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 48; S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 12: A.A.S. 59 (1967) pp. 548-549.
[84] Cf. Codex Iuris Canonici, can. 910 § 2; Instructio interdicasterialis de quibusdam quæstionibus circa fidelium laicorum cooperationem sacerdotum ministerium spectantem, Ecclesiæ de mysterio, diei 15 augusti 1997, art. 8: A.A.S. 89 (1997) p. 871.
[85] Cf. S. Congr. de Disciplina Sacramentorum, Instr. Immensæ caritatis, diei 29 ianuarii 1973, n. 1: A.A.S. 65 (1973) pp. 265-266; Codex Iuris Canonici, can. 230 § 3.

101. Deficiente lectore instituto, alii laici deputentur ad proferendas lectiones sacræ Scripturæ, qui revera apti sint huic muneri adimplendo et sedulo præparati, ut fideles ex auditione lectionum divinarum suavem et vivum sacræ Scripturæ affectum [86] in corde concipiant.

102. Psalmistæ est psalmum vel aliud canticum biblicum, quod inter lectiones invenitur, proferre. Ad suum munus recte implendum necesse est, ut psalmista et arte psallendi et facultate recte pronuntiandi et dicendi polleat.

103. Inter fideles suum munus liturgicum exercet schola cantorum vel chorus, cuius est de partibus sibi propriis, iuxta diversa genera cantuum, debite exsequendis, curare, et actuosam fidelium participationem in cantu fovere.[87]
Quæ de schola cantorum dicuntur, valent, servatis servandis, pro aliis etiam musicis, præsertim vero pro organista.

104. Decet adesse cantorem vel magistrum chori ad cantum populi dirigendum et sustentandum. Immo, cum deficit schola, cantori competit diversos cantus moderari, populo pro sua parte participante.[88]

105. Munus liturgicum exercent etiam:

a) Sacrista, qui libros liturgicos, paramenta et alia, quæ in celebratione Missæ sunt necessaria, diligenter disponit.

b) Commentator, qui explicationes et admonitiones pro opportunitate breviter proponit fidelibus, ut in celebrationem introducantur et ad eius intellegentiam melius disponantur. Oportet monitiones commentatoris sint adamussim præparatæ et sobrietate perspicuæ. In suo munere adimplendo, commentator stat loco apto coram fidelibus, non vero in ambone.

c) Qui collectas in ecclesia faciunt.

d) Ii, qui aliquibus in regionibus, fideles ad portas ecclesiæ recipiunt eosque in locis ipsis convenientibus disponunt, et eorum processiones ordinant.

106. Expedit ut, saltem in ecclesiis cathedralibus et maioribus, habeatur aliquis competens minister seu cæremoniarum magister, qui curet de actionibus sacris congrue disponendis et cum decore, ordine et pietate per ministros sacros et fideles laicos exercendis.

107. Liturgica munera, quæ non sunt propria sacerdotis vel diaconi, et de quibus superius (nn. 100-106) dicitur, etiam laicis idoneis a parocho vel rectore ecclesiæ selectis,[89] committi possunt liturgica benedictione vel temporanea deputatione. Quoad munus inserviendi sacerdoti ad altare, serventur normæ ab Episcopo datæ pro sua diœcesi.

## IV. DE DISTRIBUTIONE MUNERUM ET DE PRÆPARATIONE CELEBRATIONIS

108. Unus idemque sacerdos munus præsidentiale semper in omnibus eius partibus exercere debet, iis exceptis quæ propria sunt Missæ cui Episcopus interest (cf. supra n. 92).

[86] Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 24.

[87] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Musicam sacram, diei 5 martii 1967, n. 19: A.A.S. 59 (1967) p. 306.

[88] Cf. ibidem, n. 21: A.A.S. 59 (1967) pp. 306-307.

[89] Cf. Pont. Cons. de Legum textibus interpretandis, responsio ad propositum dubium circa can. 230 § 2: A.A.S. 86 (1994) p. 541.

109. Si plures adsunt qui idem ministerium exercere possunt, nihil vetat, quominus diversas partes eiusdem ministerii vel officii inter se distribuant et peragant. Ex. gr., alius diaconus adhiberi potest pro partibus in cantu proferendis, et alius pro ministerio altaris; si plures lectiones habentur, inter plures lectores eas distribuere iuvat, et sic de ceteris. Minime vero congruit ut plures unicum elementum celebrationis inter se dividant: ex. gr. eadem lectio a duobus, unus post alium, lecta, nisi agatur de Passione Domini.

110. Si in Missa cum populo unus tantum minister adest, ipse diversa munera exerceat.

111. Effectiva cuiusque celebrationis liturgicæ præparatio concordi et diligenti animo iuxta Missale et alios libros liturgicos fiat inter omnes quorum interest sive quoad ritus, sive quoad rem pastoralem et musicam, rectore ecclesiæ moderante et auditis quoque fidelibus pro iis quæ ad ipsos directe pertinent. Sacerdoti vero, qui celebrationi præest, ius semper manet disponendi de his quæ ipsi competunt.[90]

[90] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 22.

## Caput IV
## DE DIVERSIS FORMIS MISSAM CELEBRANDI

112. In Ecclesia locali primus sane locus tribuatur, propter eius significationem, Missæ cui præest Episcopus a suo presbyterio, diaconis et ministris laicis circumdatus [91] et in qua plebs sancta Dei plene et actuose participat, ibi enim habetur præcipua manifestatio Ecclesiæ.
In Missa quam Episcopus celebrat, vel cui ipse præest quin Eucharistiam celebret, serventur normæ quæ in Cæremoniali Episcoporum inveniuntur.[92]
113. Magni etiam habeatur Missa quæ cum aliqua communitate, præsertim vero parœciali, celebratur, utpote quæ Ecclesiam universalem repræsentet tempore et loco statutis, præcipue vero in communi celebratione dominicali.[93]
114. Inter Missas autem ab aliquibus communitatibus celebratas peculiarem locum obtinet Missa conventualis, quæ pars est Officii cotidiani, aut Missa, quæ " communitatis " dicitur. Et quamvis hæ Missæ nullam specialem formam celebrationis præ se ferant, maxime tamen decet eas cum cantu fieri, præcipue cum plena participatione omnium sodalium communitatis sive religiosorum sive canonicorum. In iis proinde munus suum exerceant singuli iuxta Ordinem vel ministerium receptum. Expedit ideo ut omnes sacerdotes qui pro utilitate pastorali fidelium singulariter celebrare non tenentur, in iis, quantum fieri potest, concelebrent. Omnes insuper ad eam communitatem pertinentes sacerdotes qui officio in bonum pastorale fidelium singulariter celebrandi tenentur, Missam quoque conventualem aut " communitatis " eadem die concelebrare possunt.[94]
Præstat enim presbyteros, qui celebrationi eucharisticæ intersunt, nisi iusta causa excusentur, munus proprii Ordinis de more exercere et proinde uti concelebrantes participare, sacris vestibus indutos. Secus habitum choralem proprium aut superpelliceum super vestem talarem gestant.

### I. DE MISSA CUM POPULO

115. Missa cum populo ea intellegitur quæ cum fidelium participatione celebratur. Convenit autem ut, quantum fieri potest, præsertim vero diebus dominicis et festis de præcepto, cum cantu et congruo numero ministrorum celebratio peragatur; [95] attamen etiam sine cantu et cum uno ministro perfici potest.
116. In qualibet Missæ celebratione si adest diaconus, hic suo munere fungatur. Expedit autem ut sacerdoti celebranti de more adsint acolythus, lector et cantor. Ritus vero qui infra describitur facultatem prævidet amplioris etiam numeri ministrorum.

[91] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 41.
[92] Cf. Cæremoniale Episcoporum, nn. 119-186.
[93] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 42; Const. dogm. de Ecclesia, Lumen gentium, n. 28; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, Presbyterorum ordinis, n. 5; S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 26: A.A.S. 59 (1967) p. 555.
[94] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 47: A.A.S. 59 (1967) p. 565.
[95] Cf. ibidem, n. 26: A.A.S. 59 (1967) p. 555; Instr. Musicam sacram, diei 5 martii 1967, nn. 16, 27: A.A.S. 59 (1967) pp. 305, 308.

### Præparanda

117. Altare una saltem tobalea albi coloris cooperiatur. Super ipsum vero aut iuxta ipsum duo saltem in omni celebratione, vel etiam quattuor aut sex, præsertim si agitur de Missa dominicali vel festiva de præcepto, vel, si Episcopus diœcesanus celebrat, septem candelabra cum cereis accensis ponantur.
Item super altare vel circa ipsum habeatur crux, cum effigie Christi crucifixi. Candelabra autem et crux effigie Christi crucifixi ornata in processione ad introitum afferri possunt. Super ipsum altare poni potest, nisi in processione ad

introitum deferatur, Evangeliarium a libro aliarum lectionum distinctum.
118. Item parentur:
a) iuxta sedem sacerdotis: missale et, pro opportunitate, libellus cantuum;
b) in ambone: lectionarium;
c) in abaco: calix, corporale, purificatorium et, pro opportunitate, palla; patena et pyxides, si necessariæ sunt; panis pro Communione sacerdotis qui præest, diaconi, ministrorum et populi; urceoli cum vino et aqua, nisi hæc omnia a fidelibus in processione ad offertorium præsententur; vas aquæ benedicendæ, si fit aspersio; patina pro Communione fidelium; et ea quæ necessaria sunt ad manus lavandas.
Calix laudabiliter cooperiatur velo, quod potest esse aut coloris diei aut coloris albi.
119. In sacristia, pro diversis formis celebrationis, parentur sacræ vestes (cf. nn. 337-341) sacerdotis, diaconi et aliorum ministrorum:
a) pro sacerdote: alba, stola et casula seu planeta;
b) pro diacono: alba, stola et dalmatica, quæ tamen, ob necessitatem vel minorem gradum sollemnitatis, omitti potest;
c) pro aliis ministris: albæ vel aliæ vestes legitime approbatæ.[96]
Omnes qui albam induunt, cingulum adhibeant et amictu utantur, nisi ob ipsius albæ formam non exigantur.
Cum introitus processione perficitur, parentur etiam Evangeliarium; in diebus dominicis et festivis thuribulum et navicula cum thure, si incensum seu thus adhibetur; crux in processione deferenda, candelabra cum cereis accensis.

## A) De Missa sine diacono

### Ritus initiales

120. Populo congregato, sacerdos et ministri, sacris vestibus induti, ad altare procedunt hoc ordine:
a) thuriferarius cum thuribulo fumigante, si thus adhibetur;
b) ministri qui deferunt cereos accensos, et inter eos acolythus vel alius minister cum cruce;
c) acolythi et alii ministri;

[96] Cf. Instructio interdicasterialis de quibusdam quæstionibus circa fidelium laicorum cooperationem sacerdotum ministerium spectantem, Ecclesiæ de mysterio, diei 15 augusti 1997, art. 6: A.A.S. 89 (1997) p. 869.

d) lector, qui potest Evangeliarium, non autem lectionarium, parum elevatum deferre;
e) sacerdos Missam celebraturus.
Si incensum adhibetur, sacerdos antequam procedatur, incensum in thuribulo imponit et signo crucis benedicit, nihil dicens.
121. Dum fit processio ad altare, cantus ad introitum peragitur (cf. nn. 47-48).
122. Cum ad altare pervenerint, sacerdos et ministri faciunt profundam inclinationem.
Crux effigie Christi crucifixi ornata et in processione forte delata, iuxta altare erigi potest ut fiat crux altaris, quæ una tantum esse debet, secus in loco digno reponatur. Candelabra vero super altare vel iuxta illud collocantur; Evangeliarium laudabiliter super altare deponitur.
123. Sacerdos ad altare ascendit ipsumque veneratur osculo. Deinde, pro opportunitate, crucem et altare incensat, illud circumeundo.
124. His peractis, sacerdos sedem petit. Cantu ad introitum expleto, omnibus stantibus, sacerdos et fideles signant se signo crucis. Sacerdos dicit: In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Populus respondet: Amen.
Deinde, versus ad populum et manus extendens, sacerdos eum salutat, una adhibita e formulis propositis. Potest etiam ipse sacerdos vel alius minister, brevissimis verbis introducere fideles in Missam illius diei.
125. Sequitur actus pænitentialis. Postea cantatur vel dicitur Kýrie, iuxta rubricas

(cf. n. 52).
126. In celebrationibus statutis, cantatur vel dicitur Glória (cf. n. 53).
127. Deinde sacerdos populum ad orandum invitat, manibus iunctis, dicens: Orémus. Et omnes una cum sacerdote ad breve tempus silentes orant. Tunc sacerdos, manibus extensis, dicit collectam, qua expleta, populus acclamat: Amen.

## Liturgia verbi

128. Collecta conclusa, omnes sedent. Sacerdos potest, brevissimis verbis, fideles in liturgiam verbi introducere. Lector vero ad ambonem pergit, et ex lectionario ibi iam ante Missam posito proclamat primam lectionem, quam omnes auscultant. In fine lector profert acclamationem Verbum Dómini, omnibus respondentibus Deo grátias.
Tunc breve spatium silentii, pro opportunitate, servari potest, ut omnes, ea quæ audierunt meditentur.
129. Deinde psalmista, vel ipse lector, profert versus psalmi, populo de more responsum proferente.
130. Si habenda sit secunda lectio ante Evangelium, lector eam ex ambone proclamat, omnibus auscultantibus, atque in fine acclamationi respondentibus, ut dicitur supra (n. 128). Deinde, pro opportunitate, breve spatium silentii servari potest.
131. Postea omnes surgunt et canitur Allelúia vel alius cantus, prout tempus liturgicum postulat (cf. nn. 62-64).

132. Dum canitur Allelúia vel alius cantus, sacerdos incensum, si adhibetur, imponit et benedicit. Deinde, manibus iunctis, et profunde inclinatus ante altare, dicit secreto: Munda cor meum.
133. Tunc Evangeliarium, si est in altari, accipit et, præcedentibus ministris laicis, qui thuribulum et cereos deferre possunt, ad ambonem accedit, Evangeliarium parum elevatum deferens. Adstantes ad ambonem se convertunt, singularem reverentiam erga Evangelium Christi manifestantes.
134. In ambone sacerdos aperit librum et, manibus iunctis, dicit: Dóminus vobíscum, populo respondente: Et cum spíritu tuo, et deinde Léctio sancti Evangélii, pollice signans librum et seipsum in fronte, ore et pectore, quod faciunt et ceteri omnes. Populus acclamat, dicens: Glória tibi, Dómine. Sacerdos librum, si incensum adhibetur, thurificat (cf. nn. 276-277). Deinde proclamat Evangelium, et in fine profert acclamationem: Verbum Dómini, omnibus respondentibus: Laus tibi, Christe. Sacerdos librum osculatur, secreto dicens: Per evangélica dicta.
135. Si non adest lector, sacerdos ipse omnes lectiones et psalmum profert, stans in ambone. Ibidem, si adhibetur, incensum imponit et benedicit, et, profunde inclinatus, dicit: Munda cor meum.
136. Sacerdos, stans ad sedem vel in ipso ambone vel, pro opportunitate, in alio loco idoneo, profert homiliam; qua finita, spatium silentii servari potest.
137. Symbolum cantatur vel recitatur a sacerdote una cum populo (cf. n. 68), omnibus stantibus. Ad verba Et incarnátus est, etc. omnes profunde se inclinant; in sollemnitatibus vero Annuntiationis et Nativitatis Domini genua flectunt.
138. Dicto symbolo, sacerdos stans ad sedem, manibus iunctis, brevi monitione fideles invitat ad orationem universalem. Deinde cantor vel lector vel alius, ex ambone aut ex alio loco convenienti, intentiones versus populum proponit, populo pro sua parte suppliciter respondente. Postremo sacerdos, manibus extensis, precationem oratione concludit.

## Liturgia eucharistica

139. Oratione universali absoluta, omnes sedent et incipit cantus ad offertorium (cf. n. 74).
Acolythus vel alius minister laicus corporale, purificatorium, calicem, pallam

et missale super altare collocat.
140. Expedit ut participatio fidelium manifestetur per oblationem sive panis et vini ad Eucharistiæ celebrationem, sive aliorum donorum, quibus necessitatibus ecclesiæ et pauperum subveniatur.
Oblationes fidelium a sacerdote accipiuntur, adiuvantibus acolytho vel alio ministro. Panis et vinum pro Eucharistia ad celebrantem deferuntur, qui ea super altare deponit, alia autem dona alio apto loco collocantur (cf. n. 73).
141. Sacerdos, ad altare, accipit patenam cum pane, eamque ambabus manibus aliquantulum elevatam super altare tenet, dicens secreto Benedíctus es, Dómine. Deinde patenam cum pane super corporale deponit.

142. Postea, sacerdos stans ad latus altaris, infundit vinum et parum aquæ in calicem, dicens secreto: Per huius aquæ, ministro urceolos porrigente. Reversus ad medium altaris, acceptum calicem ambabus manibus parum elevatum tenet, dicens secreto Benedíctus es, Dómine, et deinde calicem super corporale deponit, et palla pro opportunitate cooperit.
Si vero cantus ad offertorium non peragitur vel non pulsatur organum, sacerdoti licet, in præsentatione panis et vini, elata voce proferre formulas benedictionis, quibus populus acclamat: Benedíctus Deus in sǽcula.
143. Calice super altare deposito, sacerdos, profunde inclinatus, dicit secreto: In spíritu humilitátis.
144. Deinde, si incensum adhibetur, sacerdos illud in thuribulo imponit, benedicit nihil dicens atque oblata, crucem et altare incensat. Minister stans ad latus altaris sacerdotem incensat, deinde populum.
145. Post orationem In spíritu humilitátis vel post incensationem, sacerdos, stans ad latus altaris, manus lavat, secreto dicens: Lava me, Dómine, ministro aquam fundente.
146. Ad medium altaris deinde reversus, sacerdos, stans versus populum, extendens et iungens manus, populum ad orandum invitat, dicens: Oráte, fratres. Populus surgit et responsionem dat: Suscípiat Dóminus. Deinde sacerdos, manibus extensis, dicit orationem super oblata. In fine populus acclamat: Amen.
147. Tunc sacerdos incipit Precem eucharisticam. Iuxta rubricas (cf. n. 365) seligit unam ex iis quæ in Missali Romano inveniuntur, vel ab Apostolica Sede probatæ sunt. Prex eucharistica natura sua exigit ut solus sacerdos, vi ordinationis, eam proferat. Populus vero sacerdoti in fide et cum silentio se societ, necnon interventibus in eucharisticæ Precis cursu statutis, qui sunt responsiones in dialogo Præfationis, Sanctus, acclamatio post consecrationem et acclamatio Amen post doxologiam finalem, necnon aliæ acclamationes a Conferentia Episcoporum probatæ et a Sancta Sede recognitæ.
Valde convenit ut sacerdos partes Precis eucharisticæ, quæ notis ditantur, cantu proferat.
148. Precem eucharisticam incipiens, sacerdos, manus extendens, cantat vel dicit: Dóminus vobíscum, populo respondente: Et cum spíritu tuo. Cum prosequitur: Sursum corda, manus elevat. Populus respondet: Habémus ad Dóminum. Deinde sacerdos, manibus extensis, subdit: Grátias agámus Dómino Deo nostro, et populus respondet: Dignum et iustum est. Postea sacerdos prosequitur, manibus extensis, Præfationem; eaque conclusa, iunctis manibus, una cum omnibus adstantibus, cantat vel clara voce dicit: Sanctus (cf. n. 79 b).
149. Sacerdos prosequitur Precem eucharisticam iuxta rubricas, quæ in singulis Precibus exponuntur.
Si celebrans est Episcopus, in Precibus, post verba: Papa nostro N. subiungit: et me indígno fámulo tuo, vel post verba: Papæ nostri N., subiungit: mei indígni fámuli tui. Si autem Episcopus extra diœcesim suam celebrat, post verba: Papa nostro N. subiungit: et me indígno fámulo tuo, et fratre meo N., Epíscopo

huius Ecclésiæ N., vel post verba: Papæ nostri N., subiungit: mei indígni fámuli tui, et fratris mei N., Epíscopi huius Ecclésiæ N.

Episcopus diœcesanus, aut qui eidem in iure æquiparatus est, nominari debet hac formula: una cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo (vel: Vicário, Præláto, Præfécto, Abbáte) nostro N.

Episcopos Coadiutorem et Auxiliares, non autem alios Episcopos forte præsentes, nominari licet in Prece eucharistica. Quando plures nominandi sunt, dicitur sub formula generali: et Epíscopo nostro N. eiúsque Epíscopis adiutóribus.

In unaquaque Prece eucharistica, prædictæ formulæ aptandæ sunt, normis grammaticorum attentis.

150. Paulo ante consecrationem, minister, pro opportunitate, campanulæ signo fideles monet. Item pulsat campanulam ad unamquamque ostensionem, iuxta cuiusque loci consuetudinem.

Si incensum adhibetur, cum hostia et calix populo post consecrationem ostenduntur, minister ea incensat.

151. Post consecrationem, dicto a sacerdote: Mystérium fídei, populus acclamationem profert, adhibita una ex formulis præscriptis.

In fine Precis eucharisticæ, sacerdos, accipiens patenam cum hostia et calicem et utrumque elevans, doxologiam: Per ipsum, solus profert. Populus in fine acclamat: Amen. Postea sacerdos patenam et calicem super corporale deponit.

152. Expleta Prece eucharistica, sacerdos, manibus iunctis, dicit monitionem ante Orationem dominicam, quam deinde una cum populo profert, manibus extensis.

153. Oratione dominica conclusa, sacerdos, manibus extensis, solus dicit embolismum Líbera nos, quo completo, populus acclamat: Quia tuum est regnum.

154. Deinde sacerdos, manibus extensis, clara voce dicit orationem Dómine Iesu Christe, qui dixísti; eaque conclusa, extendens et iungens manus, pacem annuntiat, versus ad populum, dicens: Pax Dómini sit semper vobíscum. Populus respondet: Et cum spíritu tuo. Postea, pro opportunitate, sacerdos subiungit: Offérte vobis pacem.

Sacerdos pacem potest dare ministris, semper tamen intra presbyterium remanens, ne celebratio turbetur. Item faciat si e rationabili causa aliquibus paucis fidelibus pacem dare velit. Omnes vero, iuxta ea quæ a Conferentia Episcoporum statuta sunt, pacem, communionem et caritatem sibi invicem significant.

Dum pax datur, dici potest: Pax Dómini sit semper tecum, cui respondetur: Amen.

155. Postea sacerdos accipit hostiam, eamque super patenam frangit, et particulam immittit in calicem, dicens secreto: Hæc commíxtio. Interim a choro et a populo cantatur vel dicitur Agnus Dei (cf. n. 83).

156. Tunc sacerdos secreto et manibus iunctis dicit orationem ad Communionem Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi vel Percéptio Córporis et Sánguinis.

157. Oratione conclusa, sacerdos genuflectit, accipit hostiam in eadem Missa consecratam, eamque aliquantulum elevatam super patenam vel super calicem tenens, versus ad populum, dicit: Ecce Agnus Dei, et una cum populo subdit: Dómine, non sum dignus.

158. Postea, stans ad altare conversus, sacerdos secreto dicit: Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam, et reverenter sumit Corpus Christi. Deinde accipit calicem, secreto dicens: Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam, et reverenter sumit Sanguinem Christi.

159. Dum sacerdos sumit Sacramentum, inchoatur cantus ad Communionem (cf. n. 86).

160. Sacerdos deinde accipit patenam vel pyxidem, et accedit ad communicandos,

qui de more processionaliter appropinquant.
Non licet ipsis fidelibus panem consecratum neque calicem sacrum per semetipsos accipere eo minus de manu in manum inter se transmittere. Fideles communicant genuflexi vel stantes, prout Conferentia Episcoporum statuerit. Cum autem stantes communicant, commendatur ut debitam reverentiam, ab iisdem normis statuendam, ante susceptionem Sacramenti faciant.

161. Si Communio sub specie tantum panis fit, sacerdos hostiam parum elevatam unicuique ostendit dicens: Corpus Christi. Communicandus respondet: Amen, et Sacramentum recipit, ore vel, ubi concessum sit, manu, pro libitu suo. Communicandus statim ac sacram hostiam recipit, eam ex integro consumit. Si vero Communio fit sub utraque specie, servetur ritus suo loco descriptus (cf. nn. 284-287).

162. In distribuenda Communione sacerdotem adiuvare possunt alii presbyteri forte præsentes. Si isti præsto non sunt et communicantium numerus valde magnus, sacerdos in adiutorium sibi vocare potest ministros extraordinarios, idest acolythum rite institutum aut etiam alios fideles, qui ad hoc rite deputati sint.[97] In casu necessitatis, sacerdos potest fideles idoneos, ad actum deputare.[98]
Hi ministri ad altare ne accedant antequam sacerdos Communionem sumpserit, semperque vas ubi continentur Ss.mæ Eucharistiæ species, fidelibus distribuendæ, e manu sacerdotis celebrantis accipiant.

163. Distributione Communionis expleta, sacerdos vinum consecratum forte remanens ipse ad altare statim ex integro consumit; hostias vero consecratas quæ supersunt, aut ad altare sumit aut defert ad locum Eucharistiæ asservandæ destinatum.
Sacerdos, ad altare reversus, colligit fragmenta, si quæ sint; deinde, stans ad altare vel ad abacum, purificat patenam vel pyxidem super calicem, postea purificat calicem, dicens secreto: Quod ore súmpsimus, et calicem purificatorio exterget. Si vasa purificata sunt ad altare, a ministro deferuntur ad abacum. Licet tamen vasa purificanda, præsertim si sint plura, opportune cooperta, in altari vel in abaco super corporale relinquere eaque statim post Missam, populo dimisso, purificare.

[97] Cf. S. Congr. pro Sacramentis et Cultu Divino, Instr. Inæstimabile donum, diei 3 aprilis 1980, n. 10: A.A.S. 72 (1980) p. 336; Instructio interdicasterialis de quibusdam quæstionibus circa fidelium laicorum cooperationem sacerdotum ministerium spectantem, Ecclesiæ de mysterio, diei 15 augusti 1997, art. 8: A.A.S. 89 (1997) p. 871.
[98] Cf. infra, Appendix, Ritus ad deputandum ministrum sacræ Communionis ad actum distribuendæ, p. 1253.

164. Postea sacerdos ad sedem redire potest. Sacrum silentium, per aliquod temporis spatium, servari, vel psalmus aut aliud laudis canticum aut hymnus proferri potest (cf. n. 88).

165. Deinde, stans ad sedem vel ad altare, sacerdos, versus ad populum, dicit, manibus iunctis: Orémus et, extensis manibus, orationem post Communionem recitat, cui præmitti potest breve spatium silentii, nisi iam præcesserit statim post Communionem. In fine orationis populus acclamat: Amen.

## Ritus conclusionis

166. Expleta oratione post Communionem, fiant, si habendæ sunt, breves annuntiationes ad populum.

167. Deinde sacerdos, extendens manus, salutat populum, dicens: Dóminus vobíscum, cui respondetur a populo: Et cum spíritu tuo. Et sacerdos, manus denuo coniungens, et statim, manum sinistram super pectus ponens et manum dexteram elevans, subdit: Benedícat vos omnípotens Deus et, signum crucis super populum faciens, prosequitur: Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. Omnes respondent: Amen.
Quibusdam diebus et occasionibus, haec benedictio, iuxta rubricas, oratione

super populum vel alia formula sollemniore ditatur et exprimitur.
Episcopus populo benedicit congruenti formula, ter signum crucis super populum faciens.[99]

168. Statim post benedictionem sacerdos, manibus iunctis, subiungit: Ite, missa est; et omnes respondent: Deo grátias.

169. Tunc sacerdos altare de more osculo veneratur, et facta illi cum ministris laicis profunda inclinatione, cum eis recedit.

170. Si vero Missam sequitur aliqua actio liturgica, ritus conclusionis, idest salutatio, benedictio et dimissio, omittuntur.

## B) De Missa cum diacono

171. Quando celebrationi eucharisticæ interest, diaconus, sacris vestibus indutus, suo ministerio fungatur. Ipse enim:
a) sacerdoti assistit et ad eius latus procedit;
b) ad altare, sive ad calicem sive ad librum ministrat;
c) Evangelium proclamat et potest, de mandato sacerdotis celebrantis, homiliam habere (cf. n. 66);
d) populum fidelem per opportunas monitiones dirigit et intentiones orationis universalis enuntiat;
e) sacerdotem celebrantem adiuvat in distribuenda Communione, et vasa sacra purificat et componit;
f) officia aliorum ministrorum, pro necessitate, ipse adimplet si nullus eorum adsit.

[99] Cf. Cæremoniale Episcoporum, nn. 1118-1121.

### Ritus initiales

172. Evangeliarium parum elevatum deferens, diaconus sacerdotem accedentem ad altare præcedit, secus ad eius latus incedit.

173. Cum ad altare pervenerit, si Evangeliarium defert, omissa reverentia, ad altare ascendit. Deinde Evangeliario laudabiliter super altare deposito, simul cum sacerdote altare osculo veneratur.
Si vero Evangeliarium non defert, profundam facit altari inclinationem more solito cum sacerdote, et cum ipso altare osculo veneratur.
Demum si adhibetur incensum, sacerdoti assistit ad incensum imponendum et ad crucem et altare thurificandum.

174. Altari incensato, sedem una cum sacerdote petit, ibique ad latus sacerdotis consistit eique pro necessitate ministrat.

### Liturgia verbi

175. Dum Allelúia vel alter cantus profertur, si adhibetur incensum, ad impositionem thuris sacerdoti ministrat, deinde, ante sacerdotem profunde inclinatus, benedictionem petit, submissa voce dicens: Iube, domne, benedícere.
Sacerdos eum benedicit, dicens: Dóminus sit in corde tuo. Diaconus signat se signo crucis et respondet: Amen. Deinde Evangeliarium, quod super altare collocatum est, facta altari inclinatione, sumit et ad ambonem pergit librum parum elevatum deferens, præcedentibus thuriferario cum thuribulo fumigante atque ministris cum cereis accensis. Ibi populum salutat dicens, manibus iunctis: Dóminus vobíscum, dein ad verba Léctio sancti Evangélii, pollice signat librum et postea seipsum in fronte, ore et pectore, librum incensat et proclamat Evangelium. Quo finito, acclamat: Verbum Dómini, omnibus respondentibus: Laus tibi, Christe. Deinde librum osculo veneratur, secreto dicens: Per evangélica dicta, et ad sacerdotem redit.
Quando diaconus Episcopo ministrat, librum ei defert osculandum vel ipse osculatur, secreto dicens: Per evangélica dicta. In celebrationibus sollemnioribus Episcopus, pro opportunitate, benedictionem cum Evangeliario populo impertit.
Evangeliarium demum ad abacum vel aliud locum aptum et dignum deferri

potest.
176. Si alius quoque idoneus lector absit, diaconus etiam alias lectiones proferat.
177. Intentiones orationis fidelium, post introductionem sacerdotis, ipse diaconus de more ex ambone profert.

## Liturgia eucharistica

178. Oratione universali absoluta, sacerdote ad sedem remanente, diaconus altare præparat, acolytho adiuvante; ipsius tamen est sacrorum vasorum curam gerere. Assistit etiam sacerdoti ad dona populi recipienda. Tradit deinde sacerdoti patenam cum pane consecrando; infundit vinum et parum aquæ in calicem, dicens secreto: Per huius aquæ, et postea calicem sacerdoti præsentat. Hanc præparationem calicis, ad abacum peragere potest. Si incensum adhibetur, in thurificandis oblatis, cruce et altari sacerdoti ministrat, et postea ipse, vel acolythus, sacerdotem et populum incensat.

179. Durante Prece eucharistica, diaconus stat prope sacerdotem, aliquanto tamen post ipsum, ut, quando opus sit, ad calicem vel ad missale ministret. Inde ab epiclesi usque ad ostensionem calicis diaconus de more genuflexus manet. Si adsunt plures diaconi, unus ex eis ad consecrationem immittere potest incensum in thuribulum atque ad ostensionem hostiæ et calicis incensare.
180. Ad doxologiam finalem Precis eucharisticæ, stans ad latus sacerdotis, calicem elevatum tenet, dum sacerdos patenam cum hostia elevat, usquedum populus Amen acclamaverit.
181. Postquam sacerdos dixit orationem ad pacem et: Pax Dómini sit semper vobíscum, et populus respondit: Et cum spíritu tuo, diaconus, pro opportunitate, invitationem facit ad pacem, dicens, manibus iunctis et versus ad populum: Offérte vobis pacem. Ipse vero pacem a sacerdote recipit, aliisque ministris sibi propioribus potest offerre.
182. Communione a sacerdote facta, diaconus Communionem sub utraque specie ab ipso sacerdote accipit, et sacerdotem deinde adiuvat in Communione populo distribuenda. Quod si Communio sub utraque specie fit, ipse calicem sumentibus ministrat et, distributione peracta, statim totum Christi Sanguinem qui remansit ad altare reverenter consumit, adiuvantibus, si casus fert, aliis diaconis et presbyteris.
183. Distributione Communionis expleta, diaconus cum sacerdote ad altare revertitur, colligit fragmenta, si quæ sint, deinde portat calicem et alia vasa sacra ad abacum, ibique ea purificat et de more componit, dum sacerdos ad sedem redit. Licet tamen vasa purificanda, opportune cooperta, in abaco super corporale relinquere eaque statim post Missam, populo dimisso, purificare.

## Ritus conclusionis

184. Dicta oratione post Communionem, diaconus facit breves annuntiationes populo, quæ forte faciendæ sunt, nisi ipse sacerdos malit eas facere.
185. Si adhibetur oratio super populum vel formula benedictionis sollemnis diaconus dicit: Inclináte vos ad benedictiónem. Data benedictione a sacerdote, diaconus populum dimittit dicens, manibus iunctis, ad populum versus: Ite, missa est.
186. Deinde, una cum sacerdote, altare osculo veneratur, et, facta profunda inclinatione, simili modo quo processerat, recedit.

## C) De muneribus acolythi

187. Munera quæ acolythus exercere potest varii sunt generis; plura autem ex iis simul occurrere possunt. Expedit proinde ut opportune inter plures distribuantur; si vero unus tantum acolythus præsens adest, ea quæ potioris sunt momenti ipse exsequatur, cetera vero inter plures ministros distribuantur.

## Ritus initiales

188. In accessu ad altare crucem, medius inter duos ministros cum cereis

accensis, deferre potest. Cum autem ad altare pervenerit, crucem apud altare erigit, ut fiat crux altaris, secus eam in loco digno reponit. Deinde locum suum in presbyterio occupat.

189. Per totam celebrationem, acolythi est ad sacerdotem vel diaconum, quoties opus sit, accedere, ut ipsis librum præbeat et in aliis quæ necessaria sunt eos adiuvet. Convenit proinde ut, quantum fieri possit, locum occupet e quo ministerium suum commode possit implere, sive ad sedem sive ad altare.

### Liturgia eucharistica

190. Absente diacono, expleta oratione universali, dum sacerdos ad sedem manet, acolythus super altare ponit corporale, purificatorium, calicem, pallam et missale. Deinde, si opus est, sacerdotem adiuvat in accipiendis donis populi et, pro opportunitate, panem et vinum ad altare defert et sacerdoti tradit. Si incensum adhibetur, sacerdoti thuribulum exhibet eique assistit in thurificandis oblatis, cruce et altari. Deinde sacerdotem et populum incensat.

191. Acolythus rite institutus, qua minister extraordinarius, sacerdotem, si necesse est, adiuvare potest in Communione populo distribuenda.[100] Quod si Communio sub utraque specie fit, absente diacono, ipse calicem sumentibus ministrat, vel calicem sustinet si Communio per intinctionem præbetur.

192. Itemque acolythus rite institutus, distributione Communionis expleta, sacerdotem vel diaconum in vasis sacris purificandis et componendis adiuvat. Absente vero diacono, acolythus rite institutus vasa sacra ad abacum defert ibique more solito ea purificat, abstergit et componit.

193. Celebratione Missæ expleta, acolythus aliique ministri, una cum diacono et sacerdote ad sacristiam revertuntur processionaliter eodem modo et ordine quo venerunt.

## D) De muneribus lectoris

### Ritus initiales

194. In accessu ad altare, absente diacono, lector, veste probata indutus, Evangeliarium parum elevatum deferre potest: tunc ante sacerdotem incedit; secus cum aliis ministris.

195. Cum ad altare pervenerit, cum aliis facit profundam inclinationem. Si Evangeliarium defert, ad altare accedit et Evangeliarium supra illud deponit. Deinde in presbyterio una cum aliis ministris locum suum occupat.

### Liturgia verbi

196. Lectiones, quæ Evangelium præcedunt, ex ambone legit. Deficiente vero psalmista, potest et psalmum responsorium post primam lectionem proferre.

197. Absente diacono, post introductionem a sacerdote dictam, intentiones orationis universalis ex ambone proferre potest.

198. Si ad introitum vel ad Communionem non habetur cantus, et antiphonæ in Missali propositæ a fidelibus non recitantur, tempore conveniente eas proferre potest (cf. nn. 48, 87).

[100] Cf. Paulus VI, Litt. Apost. Ministeria quædam, diei 15 augusti 1972: A.A.S. 64 (1972) p. 532.

# II. DE MISSA CONCELEBRATA

199. Concelebratio qua unitas sacerdotii et sacrificii necnon totius populi Dei opportune manifestatur ipso ritu præcipitur: in ordinatione Episcopi et presbyterorum, in benedictione abbatis et in Missa chrismatis.

Commendatur autem, nisi utilitas christifidelium aliud requirat aut suadeat:

a) ad Missam vespertinam in Cena Domini;

b) ad Missam in Conciliis, Conventibus Episcoporum et Synodis;

c) ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis et oratoriis;

d) ad Missas in conventibus cuiusvis generis sacerdotum tum sæcularium tum religiosorum.[101]

Singulo tamen sacerdoti liceat Eucharistiam individuali modo celebrare, non vero eo tempore, quo in eadem ecclesia aut oratorio concelebratio habetur. Attamen feria V in Cena Domini et in Missa Vigiliæ paschalis modo individuali sacrum litare non permittitur.

200. Presbyteri peregrini libenter ad concelebrationem eucharisticam accipiantur, dummodo eorum condicio sacerdotalis cognoscatur.

201. Ubi magnus habetur numerus sacerdotum, concelebratio pluries etiam in eodem die fieri potest, ubi necessitas vel pastoralis utilitas id suadeat; fieri tamen debet temporibus subsequentibus vel in locis sacris diversis.[102]

202. Episcopi est, ad normam iuris, concelebrationis disciplinam in omnibus ecclesiis et oratoriis suæ diœcesis moderari.

203. In singulari honore illa concelebratio habenda est, qua presbyteri alicuius diœcesis cum proprio Episcopo concelebrant, in Missa stationali præsertim in diebus sollemnioribus anni liturgici, in Missa ordinationis novi Episcopi diœcesis aut eius Coadiutoris vel Auxiliaris, in Missa chrismatis, in Missa vespertina in Cena Domini, in celebrationibus Sancti Fundatoris Ecclesiæ localis vel Patroni diœcesis, in anniversariis Episcopi, occasione denique Synodi vel visitationis pastoralis.

Eadem ratione concelebratio commendatur quoties presbyteri cum proprio Episcopo conveniunt, sive occasione exercitiorum spiritualium, sive alicuius conventus. In his casibus illud signum unitatis sacerdotii necnon Ecclesiæ, omni concelebrationi proprium, magis perspicuo modo manifestatur.[103]

204. Ob peculiarem causam, sive significationis ritus sive festivitatis, facultas fit pluries celebrandi vel concelebrandi eodem die, sequentibus in casibus:

a) si quis, feria V Hebdomadæ sanctæ, Missam chrismatis celebravit aut concelebravit, etiam Missam vespertinam in Cena Domini celebrare aut concelebrare potest;

b) si quis Missam Vigiliæ paschalis celebravit aut concelebravit, potest Missam in die Paschæ celebrare aut concelebrare;

c) in Nativitate Domini omnes sacerdotes tres Missas celebrare vel concelebrare possunt, dummodo hæ suo tempore celebrentur;

[101] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 57; Codex Iuris Canonici, can. 902.

[102] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 47: A.A.S. 59 (1967) p. 566.

[103] Cf. ibidem, p. 565.

d) die Commemorationis omnium fidelium defunctorum omnes sacerdotes tres Missas celebrare vel concelebrare possunt, dummodo celebrationes diversis temporibus fiant et servatis iis quæ circa applicationem secundæ et tertiæ Missæ statuta sunt; [104]

e) si quis in Synodo et in visitatione pastorali cum Episcopo vel eius delegato aut occasione cuiusdam conventus sacerdotum concelebrat, Missam ad utilitatem fidelium iterum celebrare potest. Idem valet, servatis servandis, pro cœtibus religiosorum.

205. Missa concelebrata ordinatur, pro qualibet forma, iuxta normas communiter servandas (cf. nn. 112-198), iis tamen servatis aut mutatis quæ infra exponentur.

206. Nemo umquam ad concelebrandum accedat neque admittatur incepta iam Missa.

207. In presbyterio parentur:

a) sedes et libelli pro sacerdotibus concelebrantibus;

b) in abaco: calix sufficientis magnitudinis, aut plures calices.

208. Si diaconus non adsit, munera ipsi propria ab aliquibus concelebrantibus perficiuntur.

Si neque alii ministri adsint, partes ipsis propriæ aliis fidelibus idoneis committi possunt; secus ab aliquibus concelebrantibus absolvuntur.

209. Concelebrantes in secretario, vel alio loco apto, sacras vestes induunt, quas sumere solent cum Missam singuli celebrant. Accedente tamen iusta causa, v. gr. frequentiore concelebrantium numero et deficientia paramentorum, concelebrantes, excepto semper celebrante principali, omittere possunt casulam seu planetam, adhibita stola super albam.

## Ritus initiales

210. Omnibus rite dispositis, fit de more processio per ecclesiam ad altare. Sacerdotes concelebrantes incedunt ante celebrantem principalem.

211. Cum ad altare pervenerint, concelebrantes et celebrans principalis, facta profunda inclinatione, altare osculo venerantur, deinde sedem sibi assignatam petunt. Celebrans vero principalis crucem et altare, pro opportunitate, incensat, ac deinde sedem petit.

## Liturgia verbi

212. Durante liturgia verbi concelebrantes locum suum occupant et sedent et surgunt eadem ratione ac celebrans principalis.

Incepto Allelúia, omnes surgunt, excepto Episcopo, qui imponit incensum nihil dicens et benedicit diaconum vel, eo absente, concelebrantem qui Evangelium est proclamaturus. In concelebratione tamen cui presbyter præest, concelebrans qui, absente diacono, Evangelium proclamat, benedictionem celebrantis principalis nec petit nec accipit.

[104] Cf. Benedictus XV, Const. Ap. Incruentum altaris sacrificium, diei 10 augusti 1915: A.A.S. 7 (1915) pp. 401-404.

213. Homiliam habet de more celebrans principalis, vel unus e concelebrantibus.

## Liturgia eucharistica

214. Præparatio donorum (cf. nn. 139-146) perficitur a celebrante principali, aliis concelebrantibus suis locis manentibus.

215. Post dictam a celebrante principali orationem super oblata, concelebrantes ad altare accedunt et circa illud consistunt, ita tamen ut impedimento non sint in ritibus peragendis, et actio sacra a fidelibus bene conspiciatur, neque impedimento sint diacono quando ad altare, ratione sui ministerii, accedere debet.

Diaconus suo ministerio prope altare fungatur, quando opus est calici et missali ministrando. Attamen, quantum fieri potest stat aliquantulum retro, post sacerdotes concelebrantes, qui circa celebrantem principalem consistunt.

## De modo proferendi Precem eucharisticam

216. Præfatio cantatur vel dicitur a solo sacerdote celebrante principali; Sanctus vero ab omnibus concelebrantibus una cum populo et schola cantatur vel recitatur.

217. Sanctus expleto, sacerdotes concelebrantes Precem eucharisticam modo infra descripto prosequuntur. Solus celebrans principalis gestus facit, nisi aliter notetur.

218. Partes quæ ab omnibus concelebrantibus simul proferuntur, et præsertim consecrationis verba, quæ exprimere omnes tenentur, in recitatione ita dicendæ sunt, ut eas concelebrantes submissa voce proferant et vox celebrantis principalis clare audiatur. Hac ratione verba a populo facilius percipiuntur.

Partes ab omnibus concelebrantibus simul dicendæ, quæ notis in missali ornantur, laudabiliter cantu proferuntur.

## Prex eucharistica I, seu Canon romanus

219. In Prece eucharistica I, seu Canone romano Te ígitur a solo celebrante principali, extensis manibus, dicitur.

220. Meménto vivorum et Communicántes uni alterive e sacerdotibus concelebrantibus

committi convenit, qui solus has preces, manibus extensis, et elata
voce profert.

221. Hanc ígitur a solo celebrante principali iterum dicitur, manibus extensis.

222. A Quam oblatiónem usque ad Súpplices, celebrans principalis gestus facit, omnes vero concelebrantes omnia simul proferunt, hoc modo:

a) Quam oblatiónem, manibus ad oblata extensis;

b) Qui prídie et Símili modo, manibus iunctis;

c) verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

d) Unde et mémores et Supra quæ, manibus extensis;

e) Súpplices, inclinati et manibus iunctis usque ad verba ex hac altáris participatióne, ac deinde erecti et se signantes ad verba omni benedictióne cæléсti et grátia repleámur.

223. Meménto defunctorum et Nobis quoque peccatóribus uni alterive e concelebrantibus committi convenit, qui solus ea, manibus extensis et elata voce, profert.

224. Ad verba Nobis quoque peccatóribus omnes concelebrantes pectus sibi percutiunt.

225. Per quem hæc ómnia a solo celebrante principali dicitur.

## Prex eucharistica II

226. In Prece eucharistica II Vere Sanctus a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

227. Ab Hæc ergo dona usque ad Et súpplices omnes concelebrantes omnia simul proferunt, hoc modo:

a) Hæc ergo dona, manibus ad oblata extensis;

b) Qui cum passióni et Símili modo, manibus iunctis;

c) verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

d) Mémores ígitur atque Et súpplices, manibus extensis.

228. Intercessiones pro vivis: Recordáre, Dómine, et pro defunctis: Meménto étiam fratrum nostrórum, uni alterive e concelebrantibus committi convenit, qui solus eas, manibus extensis et elata voce, profert.

## Prex eucharistica III

229. In Prece eucharistica III Vere Sanctus a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

230. A Súpplices ergo te, Dómine, usque ad Réspice, quǽsumus, omnes concelebrantes omnia simul proferunt hoc modo:

a) Súpplices ergo te, Dómine, manibus ad oblata extensis;

b) Ipse enim in qua nocte tradebátur et Símili modo, manibus iunctis;

c) verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

d) Mémores ígitur et Réspice, quǽsumus, manibus extensis.

231. Intercessiones: Ipse nos, Hæc hóstia nostræ reconciliatiónis, et Fratres nostros uni alterive e concelebrantibus committi convenit, qui solus eas, manibus extensis et elata voce, profert.

## Prex eucharistica IV

232. In Prece eucharistica IV Confitémur tibi, Pater sancte, usque ad omnem sanctificatiónem compléret, a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

233. A Quǽsumus ígitur, Dómine, usque ad Réspice, Dómine, omnes concelebrantes omnia simul proferunt, hoc modo:
a) Quǽsumus ígitur, Dómine, manibus ad oblata extensis;
b) Ipse enim, cum hora venísset et Símili modo, manibus iunctis;
c) verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;
d) Unde et nos et Réspice, Dómine, manibus extensis.
234. Intercessiones: Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre, et Nobis ómnibus uni alterive e concelebrantibus committi convenit, qui solus eas, manibus extensis et elata voce, profert.
235. Quoad alias Preces eucharisticas ab Apostolica Sede approbatas, serventur normæ pro singulis statutæ.
236. Doxologia finalis Precis eucharisticæ solummodo a sacerdote celebrante principali et, si placuerit, una cum aliis concelebrantibus profertur, non autem a fidelibus.

## Ritus Communionis

237. Deinde celebrans principalis, iunctis manibus, dicit monitionem ante Orationem dominicam ac deinde, manibus extensis, una cum ceteris concelebrantibus, qui et manus extendunt, et cum populo ipsam Orationem dominicam.
238. Líbera nos dicitur a solo celebrante principali, manibus extensis. Omnes concelebrantes, una cum populo, acclamationem finalem proferunt: Quia tuum est regnum.
239. Post monitionem diaconi vel, eo absente, unius e concelebrantibus: Offérte vobis pacem, omnes sibi invicem pacem tradunt. Qui propiores sunt celebranti principali pacem ab ipso recipiunt ante diaconum.
240. Dum Agnus Dei profertur, diaconi vel aliqui e concelebrantibus celebrantem principalem adiuvare possunt ad hostias frangendas, sive pro concelebrantium sive pro populi Communione.
241. Immixtione peracta, solus celebrans principalis, manibus iunctis, dicit secreto orationem Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi vel Percéptio Córporis et Sánguinis.
242. Oratione ante Communionem expleta, celebrans principalis genuflectit et paulum recedit. Concelebrantes vero unus post alium ad medium altaris accedunt, genuflectunt et Corpus Christi reverenter ex altari accipiunt, atque manu dextera illud tenentes, eique manum sinistram supponentes, ad loca sua recedunt. Possunt tamen concelebrantes suis locis remanere et Corpus Christi e patena sumere, quam celebrans principalis aut unus vel plures e concelebrantibus tenent, ante ipsos transeundo, vel etiam tradendo patenam sequenti et ita usque ad ultimum.
243. Deinde celebrans principalis accipit hostiam in eadem Missa consecratam, eamque aliquantulum elevatam super patenam vel super calicem tenens, versus ad populum dicit: Ecce Agnus Dei, et prosequitur cum concelebrantibus et populo, dicens: Dómine, non sum dignus.

244. Deinde celebrans principalis, ad altare versus, secreto dicit: Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam, et Corpus Christi reverenter sumit. Similiter faciunt concelebrantes seipsos communicantes. Post eos diaconus a celebrante principali Corpus et Sanguinem Domini accipit.
245. Sanguis Domini sumi potest vel ex ipso calice directe bibendo, vel per intinctionem, vel cum calamo, vel cum cochleari.
246. Si Communio fit bibendo directe ex calice, unus ex his modis potest adhiberi:
a) Celebrans principalis, stans in medio altaris, accipit calicem et secreto

dicit: Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam, et paulum Sanguinis sumit et calicem diacono vel concelebranti tradit. Communionem fidelibus deinde distribuit (cf. nn. 160-162).

Concelebrantes unus post alium, vel bini si duo calices adhibentur, ad altare accedunt, genuflectunt, Sanguinem sumunt, labrum calicis abstergunt et ad suam sedem redeunt.

b) Celebrans principalis Sanguinem Domini sumit de more stans in medio altaris.

Concelebrantes vero Sanguinem Domini sumere possunt locis suis manendo et ex calice, ipsis a diacono vel ab uno concelebrante oblato, bibendo; aut etiam tradendo sibi deinceps calicem. Calix semper abstergitur vel ab eo qui bibit vel ab illo qui calicem præsentat. Singuli, cum communicaverint, ad suam sedem redeunt.

247. Diaconus totum Christi Sanguinem qui remansit ad altare reverenter sumit, adiuvantibus, si casus fert, aliquibus concelebrantibus, dein calicem ad abacum transfert, ibique ipse vel acolythus rite institutus more solito eum purificat, abstergit et componit (cf. n. 183).

248. Communio concelebrantium ita etiam potest ordinari, ut singuli ad altare Corpori et, statim postea, Sanguini Domini communicent.

Hoc in casu, celebrans principalis sub utraque specie Communionem more solito sumit (cf. n. 158), servato tamen ritu pro Communione calicis singulis in casibus electo, quem ceteri concelebrantes sequantur.

Communione autem celebrantis principalis peracta, calix ad latus altaris super aliud corporale deponitur. Concelebrantes unus post alium ad medium altaris accedunt, genuflectunt et Corpori Domini communicant; transeunt deinde ad latus altaris, et Sanguinem Domini sumunt, iuxta ritum pro Communione calicis electum, ut supra dictum est.

Eodem modo ac supra fiunt et Communio diaconi et purificatio calicis.

249. Si Communio concelebrantium fit per intinctionem, celebrans principalis more solito Corpus et Sanguinem Domini sumit, attendens tamen ut in calice satis Sanguinis remaneat ad Communionem concelebrantium. Diaconus deinde, vel unus e concelebrantibus, calicem aut in medio altaris, aut ad latus eius super aliud corporale, una cum patena continente particulas hostiæ, opportune disponit.

Concelebrantes, unus post alium, ad altare accedunt, genuflectunt, particulam accipiunt, eam partim in calicem intingunt et, purificatorium ori submittentes, intinctam particulam sumunt, ac deinde ad loca sua recedunt ut initio Missæ.

Per intinctionem Communionem accipit etiam diaconus, qui Amen respondet concelebranti sibi dicenti: Corpus et Sanguis Christi. Diaconus autem ad altare totum Sanguinem qui remansit sumit, adiuvantibus, si casus fert, aliquibus concelebrantibus, calicem ad abacum transfert, ibique ipse vel acolythus rite institutus more solito eum purificat, abstergit et componit.

### Ritus conclusionis

250. Cetera usque ad finem Missæ fiunt more solito (cf. nn. 166-168) a celebrante principali, concelebrantibus suis sedibus remanentibus.

251. Concelebrantes, antequam ab altari discedant, altari profundam inclinationem faciunt. Celebrans vero principalis cum diacono altare de more osculo veneratur.

## III. DE MISSA, CUIUS UNUS TANTUM MINISTER PARTICIPAT

252. In Missa quæ celebratur a sacerdote cui unus tantum minister assistit et respondet, servatur ritus Missæ cum populo (cf. nn. 120-169), ministro, pro opportunitate, partes populi proferente.

253. Si tamen minister est diaconus, ipse munera sibi propria peragit (cf. nn. 171-186), necnon alias partes populi adimplet.

254. Celebratio sine ministro vel aliquo saltem fideli ne fiat nisi iusta et rationabili de causa. Hoc in casu salutationes, monitiones et benedictio in fine Missæ omittuntur.

255. Ante Missam vasa necessaria parantur vel ad abacum, vel super altare ad latus dexterum.

## Ritus initiales

256. Sacerdos ad altare accedit et, facta cum ministro profunda inclinatione, osculo veneratur altare et sedem petit. Si libet, sacerdos potest ad altare manere; hoc in casu, ibi etiam missale paratur. Tunc minister vel sacerdos dicit antiphonam ad introitum.

257. Deinde sacerdos cum ministro, stans, signat se signo crucis et dicit: In nómine Patris; conversus ad ministrum eum salutat, unam e formulis propositis eligendo.

258. Deinde peragitur actus pænitentialis, et, iuxta rubricas, dicitur Kýrie et Glória.

259. Deinde, manibus iunctis, dicit Orémus et, interposita mora convenienti, manibus extensis, profert collectam. In fine minister acclamat: Amen.

## Liturgia verbi

260. Lectiones, quantum fieri potest, ex ambone vel ex pluteo proferuntur.

261. Dicta collecta, minister legit primam lectionem et psalmum, et, quando dicenda est, secundam lectionem atque versum ad Allelúia vel alterum cantum.

262. Deinde sacerdos, profunde inclinatus, dicit: Munda cor meum, et postea legit Evangelium. In fine dicit: Verbum Dómini, cui minister respondet: Laus tibi, Christe. Sacerdos deinde librum osculo veneratur, secreto dicens: Per evangélica dicta.

263. Sacerdos postea symbolum, iuxta rubricas, una cum ministro recitat.

264. Sequitur oratio universalis, quæ etiam in hac Missa dici potest. Sacerdos introducit et concludit orationem, minister vero intentiones profert.

## Liturgia eucharistica

265. In Liturgia eucharistica omnia fiunt sicut in Missa cum populo, præter ea quæ sequuntur.

266. Expleta acclamatione in fine embolismi qui sequitur Orationem dominicam, sacerdos dicit orationem Dómine Iesu Christe, qui dixísti; ac deinde subiungit: Pax Dómini sit semper vobíscum, cui minister respondet: Et cum spíritu tuo. Pro opportunitate sacerdos dat pacem ministro.

267. Deinde, dum dicit Agnus Dei cum ministro, sacerdos frangit hostiam super patenam. Expleto Agnus Dei, facit immixtionem, dicens secreto: Hæc commíxtio.

268. Post immixtionem, sacerdos dicit secreto orationem Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi vel Percéptio; deinde genuflectit, hostiam accipit et, si minister Communionem recipit, versus ad eum et hostiam aliquantulum elevatam super patenam vel super calicem tenens, dicit: Ecce Agnus Dei et cum ipso subdit: Dómine, non sum dignus. Deinde, ad altare conversus, Corpus Christi sumit. Si vero minister Communionem non recipit, facta genuflexione, sacerdos hostiam accipit et, ad altare conversus, dicit secreto: Dómine, non sum dignus, et Corpus Christi custódiat ac dein Christi Corpus sumit. Deinde accipit calicem et secreto dicit: Sanguis Christi custódiat et Sanguinem sumit.

269. Antequam Communio detur ministro, dicitur a ministro vel ab ipso sacerdote antiphona ad Communionem.

270. Sacerdos calicem purificat ad abacum vel ad altare. Si calix ad altare purificatur, potest ad abacum a ministro deferri, aut super altare ad latus reponi.

271. Purificatione calicis expleta, oportet ut sacerdos aliquam pausam silentii servet; postea vero dicit orationem post Communionem.

### Ritus conclusionis

272. Ritus conclusionis perficiuntur sicut in Missa cum populo, Ite, missa est omisso. Sacerdos altare de more osculo veneratur et, facta profunda inclinatione cum ministro, recedit.

## IV. QUÆDAM NORMÆ GENERALIORES PRO OMNIBUS FORMIS MISSÆ

### De veneratione altaris et Evangeliarii

273. Iuxta morem traditum, veneratio altaris et Evangeliarii osculo perficitur. Attamen, ubi huiusmodi signum non congruit cum traditionibus aut ingenio alicuius regionis, ibi est Conferentiæ Episcoporum aliud signum statuere loco illius adhibendum, consentiente Sede Apostolica.

### De genuflexione et inclinatione

274. Genuflexio, quæ fit dextero genu flectendo usque ad terram, adorationem significat; ideoque reservatur Ss.mo Sacramento, et sanctæ Cruci inde a sollemni adoratione in Actione liturgica feriæ VI in Passione Domini usque ad initium Vigiliæ paschalis.

In Missa tres genuflexiones fiunt a sacerdote celebrante, hoc est: post ostensionem hostiæ, post ostensionem calicis et ante Communionem. Peculiaritates in Missa concelebrata servandæ suis locis notantur (cf. nn. 210-251).

Si vero tabernaculum cum SS.mo Sacramento sit in presbyterio, sacerdos, diaconus et alii ministri genuflectunt, cum ad altare perveniunt et ab eo recedunt, non autem durante ipsa Missæ celebratione.

Secus genuflectunt omnes qui ante Ss.mum Sacramentum transeunt, nisi processionaliter incedant.

Ministri qui crucem processionalem vel cereos deferunt, loco genuflexionis inclinationem capitis faciunt.

275. Inclinatione significatur reverentia et honor quæ personis ipsis vel eorum signis tribuitur. Duæ species inclinationum habentur, scilicet capitis et corporis:

a) Inclinatio capitis fit cum tres Divinæ Personæ simul nominantur, et ad nomen Iesu, beatæ Mariæ Virginis et Sancti in cuius honorem celebratur Missa.

b) Inclinatio corporis seu inclinatio profunda, fit: ad altare; ad orationes Munda cor meum et In spíritu humilitátis; in symbolo ad verba Et incarnátus est; in Canone romano ad verba Súpplices te rogámus. Eadem inclinatio fit a diacono, cum petit benedictionem ante proclamationem Evangelii. Sacerdos insuper parum se inclinat cum, in consecratione, verba Domini profert.

### De incensatione

276. Thurificatio seu incensatio reverentiam exprimit et orationem, ut in Sacra Scriptura significatur (cf. Ps 140, 2; Apoc 8, 3).

Incensum ad libitum adhiberi potest in qualibet forma Missæ:

a) durante processione ingressus;

b) initio Missæ, ad crucem et altare thurificandum;

c) ad processionem et ad proclamationem Evangelii;

d) pane et calice super altare depositis, ad thurificanda oblata, crucem et altare, necnon sacerdotem et populum;

e) ad ostensionem hostiæ et calicis post consecrationem.

277. Sacerdos, cum incensum ponit in thuribulum, illud benedicit signo crucis, nihil dicens.

Ante et post thurificationem fit profunda inclinatio personæ vel rei quæ incensatur, altari et oblatis pro Missæ sacrificio exceptis.

Tribus ductibus thuribuli incensantur: Ss.mum Sacramentum, reliquia

sanctæ Crucis et imagines Domini publicæ venerationi expositæ, oblata pro Missæ sacrificio, crux altaris, Evangeliarium, cereus paschalis, sacerdos et populus.
Duobus ductibus incensantur reliquiæ et imagines Sanctorum publicæ venerationi expositæ, et quidem unice initio tantum celebrationis, post incensationem altaris.
Altare incensatur singulis ictibus hoc modo:
a) si altare est a pariete seiunctum, sacerdos illud circumeundo incensat;
b) si vero altare non est a pariete seiunctum, sacerdos transeundo incensat primo partem dexteram, deinde partem sinistram.
Crux, si est super altare vel apud ipsum, thurificatur ante altaris incensationem, secus cum sacerdos transit ante ipsam.
Oblata incensat sacerdos tribus ductibus thuribuli, ante incensationem crucis et altaris, vel signum crucis super oblata thuribulo producens.

## De purificatione

278. Quoties aliquod fragmentum hostiæ digitis adhæserit, præcipue post fractionem vel fidelium Communionem, sacerdos digitos super patenam abstergat vel pro necessitate abluat. Similiter fragmenta, si quæ extra patenam sint, colligat.
279. Vasa sacra purificantur a sacerdote vel a diacono vel ab acolytho instituto post Communionem vel post Missam, quantum fieri potest ad abacum. Purificatio calicis fit cum aqua vel cum aqua et vino, quæ ab ipso qui purificat, sumitur. Patena de more purificatorio detergeatur.
Attendendum est ut quod de Sanguine Christi post Communionis distributionem forte remanet statim ex integro sumatur ad altare.
280. Si hostia vel aliqua particula dilabatur, reverenter accipiatur; si quid vero Sanguinis fundatur, locus ubi ceciderit aqua lavetur, et hæc aqua postea in sacrarium in sacristia collocatum mittatur.

## De Communione sub utraque specie

281. Formam ratione signi pleniorem habet sacra Communio cum fit sub utraque specie. In ea enim forma signum eucharistici convivii perfectius elucet, et clarius exprimitur voluntas divina qua novum et æternum Testamentum in Sanguine Domini ratum habetur, necnon ratio inter convivium eucharisticum et convivium eschatologicum in regno Patris.[105]
282. Curent sacri pastores fidelibus, qui ritum participant, vel ei intersunt, aptiore quo fieri potest modo doctrinam catholicam de forma sacræ Communionis in mentem revocare iuxta Concilium Œcumenicum Tridentinum. In pri-

[105] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 32: A.A.S. 59 (1967) p. 558.

mis christifideles moneant fidem catholicam docere etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari qui unam speciem solam recipiant.[106]
Doceant insuper Ecclesiam potestatem habere in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, statuendi vel mutandi quæ ipsorum venerationi vel suscipientium utilitati pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaverit.[107] Simul tamen fideles moneantur ut sacrum ritum, quo signum eucharistici convivii plenius elucet, impensius participare velint.
283. Communio sub utraque specie permittitur, præter casus in libris ritualibus expositos:
a) sacerdotibus qui sacrum celebrare vel concelebrare non possunt;
b) diacono et ceteris qui aliquod officium in Missa implent;
c) sodalibus communitatum in Missa conventuali vel in illa quæ “ communitatis ” dicitur, alumnis seminariorum, omnibus qui exercitiis spiritualibus vacant vel conventum spiritualem aut pastoralem participant.

Episcopus diœcesanus normas circa Communionem sub utraque specie pro sua diœcesi definire potest, etiam in ecclesiis religiosorum et in parvis cœtibus servandas. Eidem Episcopo facultas datur Communionem sub utraque specie permittendi, quoties id sacerdoti cui, uti pastori proprio, communitas commissa est, opportunum videatur, dummodo fideles bene instructi sint et absit omne periculum profanationis Sacramenti, vel ritus difficilior evadat ob multitudinem participantium aliamve causam.

Quod autem ad modum distribuendi fidelibus sacram Communionem sub utraque specie, et ad facultatis extensionem Conferentiæ Episcoporum normas edere possunt, actis a Sede Apostolica recognitis.

284. Cum Communio sub utraque specie distribuitur:

a) ad calicem de more ministrat diaconus vel, eo absente, presbyter; vel etiam acolythus rite institutus aut alius minister extraordinarius sacræ Communionis; aut fidelis, cui, in casu necessitatis, hoc officium ad actum concreditur;

b) quod de Sanguine Christi forte remanet sumitur ad altare a sacerdote, vel diacono, vel ab acolytho rite instituto, qui calici ministravit et vasa sacra more solito purificat, abstergit et componit.

Fidelibus, qui forte sub specie tantum panis communicare volunt, sacra Communio hac forma præbeatur.

285. Ad Communionem sub utraque specie distribuendam, parentur:

a) si Communio calicis fit bibendo directe ex calice, vel calix sufficientis magnitudinis, vel plures calices, cauto semper tamen ut prævideatur ne copia Sanguinis Christi plus æquo remaneat in fine celebrationis sumenda;

b) si per intinctionem fit, hostiæ ne sint nimis tenues neque nimis parvæ, sed paulum spissiores solito, ut, Sanguine partim intinctæ, possint commode distribui.

286. Si Communio Sanguinis fit bibendo e calice, communicandus postquam Corpus Christi accepit, transit ad calicis ministrum et stat coram eo.

[106] Cf. Conc. Œcum. Trid., Sessio XXI, diei 16 iulii 1562, Decr. de communione eucharistica, capp. 1-3: Denz.-Schönm. 1725-1729.

[107] Cf. ibidem, cap. 2: Denz.-Schönm. 1728.

Minister dicit: Sanguis Christi; communicandus respondet: Amen, et minister porrigit ei calicem, quem communicandus ipse manibus suis ori admovet. Communicandus paulum e calice bibit, eum ministro restituit et recedit; minister autem labrum calicis purificatorio abstergit.

287. Si Communio calicis fit per intinctionem, communicandus, patinam sub ore tenens, accedit ad sacerdotem, qui vas cum sacris particulis tenet et ad cuius latus sistit minister qui calicem sustinet. Sacerdos hostiam accipit, partem eius in calicem intingit et eam ostendendo dicit: Corpus et Sanguis Christi; communicandus respondet: Amen, a sacerdote Sacramentum ore recipit, ac postea recedit.

## Caput V
## DE ECCLESIARUM DISPOSITIONE ET ORNATU AD EUCHARISTIAM CELEBRANDAM
### I. PRINCIPIA GENERALIA

288. Ad Eucharistiam celebrandam, populus Dei plerumque in ecclesiam congregatur vel, ea deficiente aut insufficiente, in alium locum honestum qui tamen sit tanto mysterio dignus. Ecclesiæ igitur, aliave loca, ad sacram actionem exsequendam et ad fidelium actuosam participationem obtinendam apta sint. Ædes sacræ insuper et res ad cultum divinum pertinentes vere sint dignæ, pulchræ, atque rerum supernarum signa et symbola.[108]

289. Proinde, Ecclesia nobile subsidium artium continenter quærit, et omnium gentium atque regionum artis significationes admittit.[109] Immo, sicut studet

artis opera atque thesauros a sæculis anteactis tradita servare [110] et, quatenus opus est, novis necessitatibus aptare, nova cuiusque ætatis indoli consona promovere contendit.[111]

Quapropter in instituendis artificibus necnon in seligendis operibus in ecclesiam admittendis, vera artis præstantia exquiratur, quæ fidem et pietatem alat et cum veritate significationis et finis cui destinatur congruat.[112]

290. Ecclesiæ omnes dedicentur vel saltem benedicantur. Cathedrales tamen et parœciales ecclesiæ sollemni ritu dedicentur.

291. Ad sacras ædes recte exstruendas, reficiendas atque disponendas, omnes quorum interest Commissionem diœcesanam de sacra Liturgia et de Arte sacra consulant. Episcopus autem diœcesanus eiusdem Commissionis consilio et adiutorio utatur, quando agitur de normis in hac re tradendis, aut de novarum ædium adumbrationibus approbandis aut de quibusdam quæstionibus nonnullius momenti diiudicandis.[113]

292. Ornatus ecclesiæ ad nobilem ipsius simplicitatem conferat, potius quam ad pompam. In elementis autem seligendis quæ ad ornatum pertinent, rerum veritas curetur, atque eo contendatur, ut ad fidelium institutionem conferat et ad dignitatem totius loci sacri.

293. Apta ecclesiæ eiusque adiunctorum dispositio, quæ necessitatibus nostræ ætatis opportune respondeat, requirit ut non ea solummodo curentur quæ ad sacras actiones celebrandas directius pertineant, sed ut ea quoque prævi-

[108] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, nn. 122-124; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, Presbyterorum ordinis, n. 5; S. Congr. Rituum, Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 90: A.A.S. 56 (1964) p. 897; Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 24: A.A S. 59 (1967) p. 554; Codex Iuris Canonici, can. 932 § 1.

[109] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 123.

[110] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 24: A.A S. 59 (1967) p. 554.

[111] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, nn. 123, 129; S. Congr. Rituum, Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 13 c: A.A.S. 56 (1964) p. 880.

[112] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 123.

[113] Cf. Ibidem, n. 126; S. Congr. Rituum, Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 91: A.A.S. 56 (1964) p. 898.

deantur, quæ ad fidelium convenientem commoditatem tendunt, quæque in locis ubi populus congregatur habitualiter prævideri solent.

294. Populus Dei, qui ad Missam congregatur, cohærentem et hierarchicam habet ordinationem, quæ diversis ministeriis diversaque actione pro singulis celebrationis partibus exprimitur. Generalis itaque dispositio ædis sacræ ea sit oportet quæ cœtus congregati imaginem quodammodo præ se ferat, atque congruam omnium ordinationem permittat necnon rectam muneris exsecutionem uniuscuiusque foveat.

Fideles atque schola cantorum locum obtinebunt, qui ipsorum actuosam participationem faciliorem reddat.[114]

Sacerdos celebrans, diaconus et alii ministri locum capient in presbyterio. Ibidem parentur sedes concelebrantium; si vero eorum numerus magnus sit, sedes in alia ecclesiæ parte, sed prope altare, disponantur.

Hæc omnia, quamvis hierarchicam dispositionem et munerum diversitatem exprimere debeant, intimam tamen et cohærentem unitatem efficiant, qua unitas totius plebis sanctæ clare eluceat. Natura vero et pulchritudo loci universæque supellectilis pietatem foveant et sanctitatem mysteriorum quæ celebrantur ostendant.

## II. DE PRESBYTERII ORDINATIONE AD SACRAM SYNAXIM

295. Presbyterium locus est ubi altare exstat, verbum Dei proclamatur, et sacerdos, diaconus et alii ministri munus suum exercent. Ab aula ecclesiæ opportune distinguatur aut per aliquam elevationem, aut per peculiarem structuram et ornatum. Talis autem amplitudinis sit, ut Eucharistiæ celebratio commode

peragi et conspici possit.[115]

## De altari eiusque ornatu

296. Altare, in quo sacrificium crucis sub signis sacramentalibus præsens efficitur, est etiam mensa Domini, ad quam participandam in Missa populus Dei convocatur; atque centrum gratiarum actionis, quæ per Eucharistiam perficitur.

297. Celebratio Eucharistiæ, in loco sacro, peragenda est super altare; extra locum sacrum vero, etiam super mensam convenientem, peragi potest, retentis semper tobalea et corporali, cruce et candelabris.

298. Expedit in omni ecclesia altare fixum inesse, quod Christum Iesum, Lapidem vivum (1 Petr 2, 4; cf. Eph 2, 20), clarius et permanenter significat; ceteris vero locis, sacris celebrationibus dicatis, altare potest esse mobile.

Altare fixum dicitur, si ita exstruatur ut cum pavimento cohæreat ideoque amoveri nequeat; mobile vero si transferri possit.

299. Altare exstruatur a pariete seiunctum, ut facile circumiri et in eo celebratio versus populum peragi possit, quod expedit ubicumque possibile sit. Al-

[114] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, nn. 97-98: A.A.S. 56 (1964) p. 899.

[115] Cf. ibidem, n. 91: A.A.S. 56 (1964) p. 898.

tare eum autem occupet locum, ut revera centrum sit ad quod totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur.[116] De more sit fixum et dedicatum.

300. Altare tum fixum tum mobile iuxta ritum in Pontificali Romano descriptum dedicetur; altare tamen mobile potest tantum benedici.

301. Iuxta traditum Ecclesiæ morem et significationem, mensa altaris fixi sit lapidea, et quidem ex lapide naturali. Attamen etiam alia materia digna, solida et affabre effecta, de iudicio Conferentiæ Episcoporum, adhiberi potest. Stipites vero aut basis ad mensam sustentandam ex qualibet materia, dummodo sit digna et solida, confici possunt.

Altare mobile ex quibuslibet materiis nobilibus et solidis atque usui liturgico, iuxta diversarum regionum traditiones et mores, convenientibus, exstrui potest.

302. Usus deponendi sub altari dedicando reliquias Sanctorum, etsi non Martyrum, opportune servetur. Caveatur tamen ut de huiusmodi reliquiarum veritate certo constet.

303. In novis ecclesiis exstruendis præstat unum altare erigi, quod in fidelium cœtu unum Christum unamque Ecclesiæ Eucharistiam significet.

In ecclesiis vero iam exstructis, quando altare vetus ita situm est, ut difficilem reddat participationem populi nec transferri possit sine detrimento valoris artis, aliud altare fixum, arte confectum et rite dedicandum, exstruatur; et tantum super illud sacræ celebrationes peragantur. Ne fidelium attentio a novo altari distrahatur, altare antiquum ne sit peculiari modo ornatum.

304. Ob reverentiam erga celebrationem memorialis Domini et erga convivium in quo Corpus et Sanguis Domini præbentur, super altare ubi celebratur saltem una tobalea albi coloris ponatur, quæ ad formam, mensuram et ornatum quod attinet cum ipsius altaris structura conveniat.

305. In altaris ornatu moderatio servetur.

Tempore Adventus altare floribus ornetur ea moderatione, quæ indoli huius temporis conveniat, quin tamen plenam lætitiam Nativitatis Domini præveniat. Tempore Quadragesimæ altare floribus ornari prohibetur. Excipiuntur tamen dominica Lætáre (IV in Quadragesima), sollemnitates et festa.

Florum ornatus semper sit temperatus, et potius quam supra mensam altaris, circa illud disponatur.

306. Super enim mensam altaris ea tantummodo quæ ad Missæ celebrationem requiruntur deponi possunt, scilicet: Evangeliarium ab initio celebrationis usque ad Evangelii proclamationem; a præsentatione vero donorum usque ad purificationem vasorum calix cum patena, pyxis, si necesse est, tandem corporale,

purificatorium, palla et missale.
Disponantur insuper modo discreto quæ forte ad amplificationem vocis sacerdotis necessaria sunt.

307. Candelabra, quæ pro singulis actionibus liturgicis, venerationis et festivæ celebrationis causa, requiruntur (cf. n. 117), aut super altare, aut circa ipsum, attenta structura tum altaris tum presbyterii, opportune collocentur, ita ut

[116] Cf. ibidem.

totum concinne componatur, neque fideles impediantur ab iis facile conspiciendis, quæ super altare aguntur vel deponuntur.

308. Item super altare vel prope ipsum crux, cum effigie Christi crucifixi, habeatur, quæ a populo congregato bene conspiciatur. Expedit ut huiusmodi crux, ad salutiferam Domini passionem in mentem fidelium revocandam, etiam extra celebrationes liturgicas prope altare permaneat.

## De ambone

309. Dignitas verbi Dei requirit ut in ecclesia locus congruus exsistat e quo annuntietur et ad quem, inter liturgiam verbi, attentio fidelium sponte convertatur.[117]
Convenit ut generatim locus huiusmodi sit ambo stabilis et non simplex pluteus mobilis. Ambo, pro cuiusque ecclesiæ structura, ita dispositus esse debet, ut ministri ordinati et lectores a fidelibus bene conspici et audiri possint.
Ex ambone unice proferuntur lectiones, psalmus responsorius atque præconium paschale; item proferri possunt homilia et intentiones orationis universalis.
Ambonis dignitas exigit ut ad eum solus minister verbi ascendat.
Convenit ut novus ambo benedicatur, antequam usui liturgico destinetur, iuxta ritum in Rituali Romano descriptum.[118]

## De sede pro sacerdote celebrante aliisque sedibus

310. Sedes sacerdotis celebrantis debet munus eius præsidendi cœtui atque orationem dirigendi significare. Proinde locus eius magis congruus est versus ad populum in vertice presbyterii, nisi ædis structura vel alia adiuncta id impediant, ex. gr. si propter nimiam distantiam communicatio inter sacerdotem et cœtum congregatum difficilis evadat, aut si tabernaculum locum habeat in media parte retro altare. Omnis autem species throni vitetur.[119] Convenit ut sedes benedicatur, antequam usui liturgico destinetur, iuxta ritum in Rituali Romano descriptum.[120]
Item in presbyterio sedes disponantur pro sacerdotibus concelebrantibus necnon pro presbyteris, qui veste chorali induti, celebrationi intersunt, quin concelebrent.
Sedes diaconi prope sedem celebrantis ponatur. Pro aliis ministris sedes ita collocentur, ut clare distinguantur a sedibus cleri et ipsi munus sibi concreditum facile implere possint.[121]

[117] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 96: A.A.S. 56 (1964) p. 899.
[118] Cf. Rituale Romanum, De Benedictionibus, editio typica 1984, Ordo benedictionis occasione data auspicandi novum ambonem, nn. 900-918.
[119] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 92: A.A.S. 56 (1964) p. 898.
[120] Cf. Rituale Romanum, De Benedictionibus, editio typica 1984, Ordo benedictionis occasione data auspicandi novam cathedram seu sedem præsidentiæ, nn. 880-899.
[121] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 92: A.A.S. 56 (1964) p. 898.

# III. DE ECCLESIÆ ORDINATIONE

## De locis fidelium

311. Loca fidelium congrua cura disponantur, ut ipsi oculis et animo sacras celebrationes debite participare possint. Expedit ut de more scamna seu sedilia ad eorum usum ponantur. Consuetudo tamen personis quibusdam privatis

sedes reservandi reprobanda est.[122] Scamna autem seu sedilia, præsertim in ecclesiis noviter exstructis, ita disponantur, ut fideles corporis habitus a diversis celebrationis partibus requisitos facile sumere possint et expedite ad sacram Communionem recipiendam accedere valeant.

Caveatur ut fideles sive sacerdotem sive diaconum et lectores non tantum videre, sed etiam, hodiernis instrumentis technicis adhibitis, commode audire valeant.

## De loco scholæ cantorum et instrumentorum musicorum

312. Schola cantorum, attenta cuiusque ecclesiæ dispositione, ita collocetur, ut clare appareat eius natura, eam nempe fidelium communitatis congregatæ partem esse, et peculiare munus agere; eiusdem muneris exsecutio facilior evadat; singulis scholæ sodalibus plena in Missa participatio sacramentalis commode permittatur.[123]

313. Organum aliaque instrumenta musica legitime probata apto loco collocentur, ut tum scholæ tum populo cantanti subsidio esse possint, atque, si sola pulsentur, commode ab omnibus audiri queant. Convenit ut organum benedicatur, antequam usui liturgico destinetur, iuxta ritum in Rituali Romano descriptum.[124]

Tempore Adventus organum aliaque musica instrumenta adhibeantur ea moderatione, quæ indoli huius temporis conveniat, quin tamen plenam lætitiam Nativitatis Domini præveniat.

Tempore in Quadragesima sonus organi aliorumque instrumentorum permittitur tantum ad cantum sustentandum. Excipiuntur tamen dominica Lætáre (IV in Quadragesima), sollemnitates et festa.

## De loco asservationis sanctissimæ eucharistiæ

314. Pro cuiusque ecclesiæ structura et iuxta legitimas locorum consuetudines, Ss.mum Sacramentum asservetur in tabernaculo in parte ecclesiæ pernobili, insigni, conspicua, decore ornata, et ad orationem apta.[125]

Tabernaculum de more unicum sit, inamovibile, materia solida atque inviolabili non transparenti confectum, et ita clausum ut quam maxime periculum

122 Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia Sacrosanctum Concilium, n. 32.
123 Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Musicam sacram, diei 5 martii 1967, n. 23: A.A.S. 59 (1967) p. 307.
124 Cf. Rituale Romanum, De Benedictionibus, editio typica 1984, Ordo benedictionis organi, nn. 1052-1067.
125 Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 54: A.A S. 59 (1967) p. 568; Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 95: A.A.S. 56 (1964) p. 898.

profanationis vitetur.[126] Convenit insuper ut benedicatur, antequam usui liturgico destinetur, iuxta ritum in Rituali Romano descriptum.[127]

315. Ratione signi magis congruit ut in altari in quo Missa celebratur non sit tabernaculum in quo Ss.ma Eucharistia asservatur.[128]

Præstat proinde tabernaculum collocari, de iudicio Episcopi diœcesani:

a) aut in presbyterio, extra altare celebrationis, forma et loco magis convenientibus, non excluso vetere altari quod ad celebrationem amplius non adhibetur (cf. n. 303).

b) aut etiam in aliquo sacello ad privatam fidelium adorationem et precationem idoneo,[129] quod sit cum ecclesia organice coniunctum et christifidelibus conspicuum.

316. Secundum traditam consuetudinem, iuxta tabernaculum peculiaris perenniter luceat lampas, oleo vel cera nutrienda, qua indicetur et honoretur Christi præsentia.[130]

317. Minime obliviscantur etiam cetera omnia quæ de asservatione Ss.mæ Eucharistiæ ad normam iuris præscribuntur.[131]

## De imaginibus sacris

318. Ecclesia in terrena Liturgia cælestem illam prægustando participat,

quæ in sancta civitate Ierusalem, ad quam peregrina tendit, celebratur, ubi Christus est in dextera Dei sedens, et memoriam Sanctorum venerando partem aliquam et societatem cum iis sperat se habituram.[132]

Itaque Domini, beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum imagines, iuxta antiquissimam Ecclesiæ traditionem, in ædibus sacris fidelium venerationi exhibeantur [133] et ibi ita disponantur ut fideles manuducant ad mysteria fidei quæ ibi celebrantur. Ideoque caveatur ne eorum numerus indiscrete augeatur, hinc ut earum dispositio debito ordine fiat, ne fidelium attentionem ab ipsa celebratione avocent.[134] Unius autem eiusdemque Sancti plus quam una imago de more ne habeatur. Generatim in ornamento et dispositione ecclesiæ ad imagines quod attinet, pietati totius communitatis prospiciatur atque pulchritudini et dignitati imaginum.

[126] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 52: A.A.S. 59 (1967) p. 568; Instr. Inter Œcumenici, diei 26 septembris 1964, n. 95: A.A.S. 56 (1964) p. 898; S. Congr. de Sacramentis, Instr. Nullo umquam tempore, diei 28 maii 1938, n. 4: A.A.S. 30 (1938) pp. 199-200; Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, editio typica 1973, nn. 10-11; Codex Iuris Canonici, can. 938 § 3.

[127] Cf. Rituale Romanum, De Benedictionibus, editio typica 1984, Ordo benedictionis occasione data auspicandi novum tabernaculum eucharisticum, nn. 919-929.

[128] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 55: A.A.S. 59 (1967) p. 569.

[129] Ibidem, n. 53: A.A.S. 59 (1967) p. 568; Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, editio typica 1973, n. 9; Codex Iuris Canonici, can. 938 § 2; Ioannes Paulus II, Epist. Dominicæ Cenæ, diei 24 februarii 1980, n. 3: A.A.S. 72 (1980) pp. 117-119.

[130] Cf. Codex Iuris Canonici, can. 940; S. Congr. Rituum, Instr. Eucharisticum mysterium, diei 25 maii 1967, n. 57: A.A.S. 59 (1967) p. 569; cf. Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, editio typica 1973, n. 11.

[131] Cf. præsertim S. Congr. de Sacramentis, Instr. Nullo umquam tempore, diei 28 maii 1938: A.A.S. 30 (1938) pp. 198-207; Codex Iuris Canonici, cann. 934-944.

[132] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia Sacrosanctum Concilium, n. 8.

[133] Cf. Pontificale Romanum, Ordo Dedicationis ecclesiæ et altaris, editio typica 1977, cap. IV, n. 10; Rituale Romanum, De Benedictionibus, editio typica 1984, Ordo ad benedicendas imagines quæ fidelium venerationi publicæ exhibentur, nn. 984-1031.

[134] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 125.

## Caput VI

## DE IIS QUÆ AD MISSÆ CELEBRATIONEM REQUIRUNTUR

### I. DE PANE ET VINO AD EUCHARISTIAM CELEBRANDAM

319. Exemplum Christi secuta, Ecclesia panem et vinum cum aqua ad celebrandum dominicum convivium semper adhibuit.

320. Panis ad Eucharistiam celebrandam debet esse mere triticeus, recenter confectus et, secundum antiquam Ecclesiæ latinæ traditionem, azymus.

321. Ratio signi postulat ut materia celebrationis eucharisticæ revera ut cibus appareat. Expedit ergo ut panis eucharisticus, quamvis azymus et forma tradita confectus, tali modo efficiatur, ut sacerdos in Missa cum populo celebrata revera hostiam frangere possit in diversas partes, easque saltem aliquibus fidelibus distribuere. Parvæ tamen hostiæ minime excluduntur, quando numerus sacram Communionem sumentium aliæque rationes pastorales id exigunt. Gestus autem fractionis panis, quo simpliciter Eucharistia designabatur tempore apostolico, apertius manifestabit vim et momentum signi unitatis omnium in uno pane, et caritatis ex eo quod unus panis inter fratres distribuitur.

322. Vinum pro celebratione eucharistica debet esse ex genimine vitis (cf. Lc 22, 18), naturale et merum, idest extraneis substantiis non admixtum.

323. Sedula cura caveatur ut panis et vinum ad Eucharistiam destinata perfecto statu conserventur; id est, caveatur ne vinum acescat, neve panis corrumpatur vel nimis durus fiat, ita ut difficulter frangi possit.

324. Si post consecrationem aut cum Communionem sumit, sacerdos animadvertat vinum non fuisse infusum, sed aquam, deposita aqua in aliquo vase,

vinum cum aqua infundat in calicem, illud consecret, partem narrationis dicens quæ ad consecrationem calicis pertinet, quin tamen teneatur iterum panem consecrare.

## II. DE SACRA SUPELLECTILE IN GENERE

325. Sicut pro ecclesiis ædificandis, ita et pro sacra supellectile universa, Ecclesia genus artis cuiusque regionis admittit, et eas aptationes recipit, quæ cum singularum gentium ingenio et traditionibus congruant, dummodo omnia usui ad quem ipsa sacra supellex destinatur apte respondeant.[135]

Etiam in hac parte sedulo curetur nobilis illa simplicitas, quæ cum arte vera optime copulatur.

326. In seligendis materiis pro sacra supellectile, præter eas quæ usu traditæ sunt, eæ quoque admitti possunt quæ, iuxta mentem nostræ ætatis, nobiles æstimantur, durabiles sunt et usui sacro bene accommodantur. Qua de re iudex erit Conferentia Episcoporum pro singulis regionibus (cf. n. 390).

[135] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 128.

## III. DE SACRIS VASIS

327. Inter ea quæ ad Missam celebrandam requiruntur, speciali honore habentur vasa sacra, et inter hæc calix et patena, in quibus vinum et panis offeruntur, consecrantur et sumuntur.

328. Vasa sacra ex metallo nobili conficiantur. Si ex metallo conflata sint quod robiginem producat vel auro minus nobilis sit, interius plerumque inaurentur.

329. De iudicio Conferentiæ Episcoporum, actis ab Apostolica Sede recognitis, vasa sacra confici possunt etiam aliis ex materiis solidis et, secundum communem æstimationem cuiusque regionis, nobilibus, ex. gr. ebeno aut aliis lignis durioribus, dummodo usui sacro aptæ sint. Hoc in casu, præferantur semper materiæ quæ facile non frangantur neque corrumpantur. Quod valet pro omnibus vasis quæ ad hostias recipiendas destinata sunt, uti patena, pyxis, theca, ostensorium et alia huiusmodi.

330. Quoad calices aliaque vasa, quæ ad recipiendum Sanguinem Domini destinata sunt, cuppam habeant ex tali materia confectam, quæ liquida non absorbeat. Pes vero ex aliis materiis solidis et dignis confici potest.

331. Ad hostias consecrandas patena amplior convenienter adhiberi potest, in qua ponatur panis tum pro sacerdote et diacono tum pro aliis ministris et fidelibus.

332. Ad formam vasorum sacrorum quod attinet, artificis est ea opportuniore modo conficere, qui moribus respondeat singularum regionum dummodo ad usum liturgicum, ad quem destinantur, singula vasa sint apta, et clare distinguantur ab iis quæ usui cotidiano destinantur.

333. Quoad vasorum sacrorum benedictionem, serventur ritus in libris liturgicis præscripti.[136]

334. Mos servetur exstruendi in sacristia sacrarium, in quod aqua ablutionis sacrorum vasorum et linteaminum fundatur (cf. n. 280).

## IV. DE SACRIS VESTIBUS

335. In Ecclesia, quæ est Corpus Christi, non omnia membra eodem munere funguntur. Hæc diversitas munerum in Eucharistiæ celebratione exterius manifestatur diversitate sacrarum vestium, quæ proinde signum exstare debent muneris cuique ministro proprii. Eædem tamen sacræ vestes ad decorem quoque ipsius actionis sacræ conferant oportet. Vestes quibus sacerdotes et diaconi, necnon ministri laici induuntur opportune benedicuntur antequam usui liturgico destinentur, iuxta ritum in Rituali Romano descriptum.[137]

336. Vestis sacra omnibus ministris ordinatis et institutis cuiusvis gradus communis est alba, circa lumbos cingulo astringenda, nisi tali modo confecta

[136] Cf. Pontificale Romanum, Ordo Dedicationis ecclesiæ et altaris, editio typica 1977 Ordo

benedictionis calicis et patenæ; Rituale Romanum, De Benedictionibus, editio typica 1984, Ordo benedictionis rerum quæ in liturgicis celebrationibus usurpantur, nn. 1068-1084.

137 Cf. Rituale Romanum, De Benedictionibus, editio typica 1984, Ordo benedictionis rerum quæ in liturgicis celebrationibus usurpantur, n. 1070.

sit, ut corpori adhæreat etiam sine cingulo. Antequam vero alba assumatur, si hæc habitum communem circa collum non cooperit, amictus adhibeatur. Alba cum superpelliceo commutari nequit, ne quidem super vestem talarem, quando casula vel dalmatica vel, iuxta normas, sola stola sine casula vel dalmatica induenda est.

337. Sacerdotis celebrantis vestis propria, in Missa aliisque sacris actionibus quæ cum Missa directo conectuntur, est casula seu planeta, nisi aliud caveatur, super albam et stolam induenda.

338. Diaconi vestis propria est dalmatica, super albam et stolam induenda; dalmatica tamen ob necessitatem vel minorem gradum sollemnitatis omitti potest.

339. Acolythi, lectores, aliique ministri laici albam vel aliam vestem in singulis regionibus a Conferentia Episcoporum legitime probatam induere possunt (cf. n. 390).

340. Stola defertur a sacerdote circa collum et ante pectus pendens; a diacono vero ab umero sinistro per transversum super pectus ducitur ad partem dexteram corporis, ibique retinetur.

341. Pluviale, seu cappa pluvialis, assumitur a sacerdote in processionibus aliisque actionibus sacris, iuxta rubricas proprias singulorum rituum.

342. Ad formam sacrarum vestium quod attinet, Conferentiæ Episcoporum possunt definire et proponere Apostolicæ Sedi aptationes, quæ necessitatibus et moribus singularum regionum respondeant.[138]

343. Ad sacras vestes conficiendas, præter traditas materias, fibræ naturales cuiusque loci propriæ adhiberi possunt, necnon aliquæ fibræ artificiales, quæ respondeant dignitati actionis sacræ et personæ. De qua re iudicabit Episcoporum Conferentia.[139]

344. Decet pulchritudinem et nobilitatem cuiusque vestis non ex abundantia ornamentorum quæ superadduntur exquiri, sed e materia quæ adhibeatur et a forma. Ornamenta autem figuras seu imagines vel symbola præbeant, quæ usum sacrum indicent, remotis iis quæ usum sacrum dedeceant.

345. Diversitas colorum in sacris vestibus eo contendit, ut hinc proprietas mysteriorum fidei celebrandorum, hinc sensus progredientis vitæ christianæ, decursu anni liturgici, efficacius etiam exterius exprimatur.

346. Ad colorem sacrarum vestium quod attinet, servetur usus traditus, nempe:

a) Color albus adhibetur in Officiis et Missis temporis paschalis et Nativitatis Domini; insuper in celebrationibus Domini, quæ non sint de eius Passione, beatæ Mariæ Virginis, SS. Angelorum, Sanctorum non Martyrum, in sollemnitatibus Omnium Sanctorum (1 nov.) et S. Ioannis Baptistæ (24 iunii), in festis S. Ioannis Evangelistæ (27 dec.), Cathedræ S. Petri (22 febr.) et Conversionis S. Pauli (25 ian.).

b) Color ruber adhibetur in dominica Passionis et feria VI Hebdomadæ sanctæ, in dominica Pentecostes, in celebrationibus Passionis Domini, in festis nataliciis Apostolorum et Evangelistarum et in celebrationibus Sanctorum Martyrum.

138 Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 128.

139 Cf. ibidem.

c) Color viridis adhibetur in Officiis et Missis temporis “ per annum ”.

d) Color violaceus adhibetur tempore Adventus et Quadragesimæ. Assumi potest etiam in Officiis et Missis defunctorum.

e) Color niger adhiberi potest, ubi mos est, in Missis defunctorum.

f) Color rosaceus adhiberi potest, ubi mos est, in dominicis Gaudéte (III Adventus) et Lætáre (IV in Quadragesima).

g) Diebus sollemnioribus adhiberi possunt sacrae vestes festivæ seu nobiliores, etsi non sunt coloris diei.

Conferentiæ tamen Episcoporum possunt definire, ad colores liturgicos quod attinet, et proponere Apostolicæ Sedi aptationes, quæ necessitatibus et ingenio populorum respondeant.

347. Missæ rituales dicuntur cum colore proprio vel albo vel festivo; Missæ autem pro variis necessitatibus cum colore proprio diei vel temporis aut cum colore violaceo, si indolem pænitentialem manifestant, v. gr. nn. 31, 33, 38; Missæ votivæ cum colore convenienti Missæ quæ celebratur aut etiam cum colore proprio diei vel temporis.

## V. DE ALIIS REBUS AD USUM ECCLESIÆ DESTINATIS

348. Præter vasa sacra aut vestes sacras, pro quibus aliqua peculiaris materia statuitur, alia supellex, quæ aut ipsi usui liturgico destinatur [140] aut quolibet alio modo in ecclesiam admittitur, digna sit atque respondens fini cui unaquæque res destinatur.

349. Peculiari modo curandum est ut libri liturgici, Evangeliarium et lectionarium præsertim, quæ ad verbi Dei proclamationem destinantur et proinde peculiari veneratione gaudent, sint revera in actione liturgica rerum supernarum signa et symbola, et proinde vere digni, decori et pulchri.

350. Insuper omni cura attendendum est ad ea quæ directe cum altari et celebratione eucharistica conectuntur, uti sunt, ex. gr., crux altaris et crux quæ in processione defertur.

351. Sedulo contendatur ut etiam in rebus minoris momenti artis postulata opportune serventur, et nobilis semper simplicitas cum munditie societur.

[140] Quoad benedictionem rerum quæ in domibus ecclesiæ ad usum liturgicum destinantur, cf. Rituale Romanum, De Benedictionibus, editio typica 1984, pars III.

# Caput VII
# DE MISSA EIUSQUE PARTIBUS ELIGENDIS

352. Efficacitas pastoralis celebrationis profecto augebitur, si textus lectionum, orationum et cantuum necessitatibus et præparationi animi et ingenio participantium apte, quantum fieri potest, respondebunt. Quod obtinetur congrue adhibita multiplici facultate electionis, quæ infra describitur.

Sacerdos proinde, in ordinanda Missa, ad commune bonum spirituale populi Dei, potius quam ad suam propensionem attendet. Memor sit insuper huiusmodi electionem partium concordi ratione esse faciendam cum iis qui partem aliquam in celebratione exercent, fidelibus minime exclusis, in iis quæ ad ipsos magis directo spectant.

Cum vero multiplex afferatur facultas seligendi diversas Missæ partes, necesse est ut ante celebrationem diaconus, lectores, psalmista, cantor, commentator, schola, unusquisque pro sua parte, probe sciant quinam textus ad se spectans adhibeatur, nihilque ex tempore quodammodo eveniat. Harmonica enim ordinatio et exsecutio rituum multum confert ad componendos fidelium animos ad Eucharistiam participandam.

## I. DE MISSA ELIGENDA

353. In sollemnitatibus sacerdos sequi tenetur calendarium ecclesiæ in qua celebrat.

354. In dominicis, in feriis Adventus, Nativitatis, Quadragesimæ et Paschæ, in festis et memoriis obligatoriis:

a) si Missa celebratur cum populo, sacerdos sequatur calendarium ecclesiæ in qua celebrat;

b) si Missa celebratur, cuius unus tantum minister participat, sacerdos eligere potest aut calendarium ecclesiæ aut calendarium proprium.

355. In memoriis ad libitum:
a) In feriis Adventus a die 17 ad 24 decembris, diebus infra octavam Nativitatis et in feriis Quadragesimæ, exceptis feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ, dicitur Missa de die liturgico occurrente; de memoria autem in calendario generali eo die forte inscripta sumi potest collecta, dummodo non occurrat feria IV Cinerum aut feria Hebdomadæ sanctæ. In feriis temporis paschalis memoriæ Sanctorum rite ex integro peragi possunt.
b) In feriis Adventus ante diem 17 decembris, in feriis temporis Nativitatis a die 2 ianuarii et in feriis temporis paschalis, eligi potest aut Missa de feria, aut Missa de Sancto, vel de uno e Sanctis quorum fiat memoria, aut Missa de aliquo Sancto eo die in Martyrologio inscripto.
c) In feriis per annum, eligi potest aut Missa de feria, aut Missa de memoria ad libitum forte occurrente, aut Missa de aliquo Sancto eo die in Martyrologio inscripto, aut Missa pro variis necessitatibus vel votiva.
Si celebrat cum populo, sacerdos curabit ne frequentius et sine sufficienti causa lectiones omittat singulis diebus in lectionario pro feriis assignatas: Ecclesia enim cupit ut ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus.[141]

[141] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 51.

Ob eandem causam moderate sumet Missas defunctorum: quælibet enim Missa tam pro vivis quam pro defunctis offertur, et in Prece eucharistica memoria defunctorum habetur.
Ubi autem fidelibus cordi sunt memoriæ ad libitum beatæ Mariæ Virginis vel Sanctorum, satisfiat legitimæ eorum pietati.
Cum vero facultas datur eligendi inter memoriam calendario generali inscriptam et memoriam calendario diœcesano aut religioso insertam, præoptetur, ceteris paribus et iuxta traditionem, memoria particularis.

## II. DE MISSÆ PARTIBUS ELIGENDIS

356. In seligendis textibus diversarum partium Missæ tum de Tempore tum de Sanctis, serventur normæ quæ sequuntur.

### De lectionibus

357. Dominicis et sollemnitatibus assignantur tres lectiones, scilicet Prophetæ, Apostoli et Evangelii, quibus populus christianus ad continuitatem operis salutis, secundum mirabile propositum divinum, educatur. Hæ lectiones stricte adhibeantur. Tempore paschali, iuxta Ecclesiæ traditionem, loco Veteris Testamenti, lectio ex Actibus Apostolorum sumitur.
Festis vero duæ lectiones assignantur. Si tamen festum iuxta normas ad gradum sollemnitatis elevatur, additur tertia lectio, quæ e Communi desumitur.
In memoriis Sanctorum, nisi habeantur propriæ, leguntur de more lectiones feriæ assignatæ. In quibusdam casibus proponuntur lectiones appropriatæ, quæ scilicet peculiarem aspectum vitæ spiritualis aut actuositatis Sancti in luce ponunt. Usus harum lectionum non est urgendus, nisi ratio pastoralis revera id suadeat.
358. In lectionario pro feriis, lectiones proponuntur pro singulis diebus cuiusque hebdomadæ per universum cursum anni: proinde hæ lectiones plerumque sumentur, diebus quibus sunt assignatæ, nisi occurrat sollemnitas vel festum, vel memoria lectiones proprias Novi Testamenti habens, in quibus scilicet mentio fiat de Sancto celebrato.
Si tamen aliquando lectio continua in hebdomada intermittitur ob aliquam sollemnitatem, aliquod festum vel aliquam peculiarem celebrationem, sacerdoti licebit, præ oculis habita ordinatione lectionum totius hebdomadæ, aut partes omittendas una cum aliis componere aut statuere quinam textus aliis præferendi sint.

In Missis pro peculiaribus cœtibus, sacerdoti licebit textus peculiari celebrationi aptiores eligere, dummodo ex approbati lectionarii textibus seligantur.

359. Peculiaris insuper selectio textuum sacræ Scripturæ datur in lectionario pro Missis ritualibus, in quas aliqua Sacramenta vel Sacramentalia inseruntur, aut pro Missis, quæ pro quibusdam necessitatibus celebrantur.

Huiusmodi lectionaria ideo statuta sunt, ut per aptiorem verbi Dei auditionem fideles ad mysterium quod participant plenius percipiendum ducantur, et ad incensiorem amorem verbi Dei instituantur.

Textus proinde, qui in celebratione proferuntur, determinandi sunt præ oculis habitis tum congrua ratione pastorali tum eligendi facultate in hac re facta.

360. Datur quandoque forma longior et forma brevior eiusdem textus. In eligendo inter has duas formas criterium pastorale præ oculis habeatur. Tunc attendatur oportet ad facultatem fidelium auscultandi cum fructu lectionem magis vel minus longam; ad eorum facultatem audiendi textum magis completum, per homiliam explicandum.[142]

361. Quando autem facultas tribuitur seligendi inter unum vel alterum textum iam definitum, vel ad libitum propositum, attendendum erit ad utilitatem participantium, prout nempe agitur de adhibendo textu, qui facilior est vel magis conveniens cœtui congregato, vel de textu iterando vel reponendo, qui alicui celebrationi tamquam proprius assignatur, alteri vero tamquam ad libitum adhibendus, quoties utilitas pastoralis id suadeat.[143]

Quod evenire potest aut quando idem textus diebus proximioribus iterum legi debeat ex. gr. die dominica et in feria subsequenti aut quando timeatur ne textus aliquis quasdam gignat difficultates in aliquo christifidelium cœtu. Caveatur tamen ne, in seligendis textibus Scripturæ Sacræ, partes eius permanenter excludantur.

362. Præter facultates eligendi quosdam textus aptiores, de quibus supra, facultas fit Conferentiis Episcoporum, in peculiaribus adiunctis, aliquas aptationes indicandi ad lectiones quod attinet, ea tamen lege, ut textus seligantur e lectionario rite approbato.

## De orationibus

363. In qualibet Missa, nisi aliter notetur, dicuntur orationes ipsi Missæ propriæ.

In memoriis Sanctorum, dicitur collecta propria vel, si deest, de Communi congruenti; orationes vero super oblata et post Communionem, nisi sint propriæ, sumi possunt aut e Communi aut e feriis temporis currentis.

In feriis autem “ per annum ”, præter orationes dominicæ præcedentis, sumi possunt vel orationes alius dominicæ “ per annum ”, vel una ex orationibus pro variis necessitatibus, quæ in Missali recensentur. Semper tamen licebit ex iisdem Missis etiam solam collectam adhibere.

Hoc modo ditior copia præbetur textuum, quibus precatio fidelium abundantius nutritur.

In potioribus tamen anni temporibus, hæc accommodatio iam fit per orationes iisdem temporibus proprias, in Missali, pro singulis feriis, exstantes.

## De Prece eucharistica

364. Plurimæ præfationes, quibus Missale Romanum ditatur, eo spectant ut argumenta gratiarum actionis in Prece eucharistica plenius eniteant, et variæ rationes mysterii salutis pleniore luce proponantur.

365. Electio inter Preces eucharisticas, quæ in Ordine Missæ inveniuntur, his normis opportune regitur:

a) Prex eucharistica prima, seu Canon romanus, qui semper adhiberi potest, opportunius profertur diebus quibus assignantur Communicántes propria,

[142] Missale Romanum, Ordo lectionum Missæ, editio typica altera 1981, Prænotanda, n. 80.

[143] Ibidem, n. 81.

aut in Missis quæ Hanc ígitur propriis ditantur, necnon in celebrationibus Apostolorum et Sanctorum, quorum mentio fit in ipsa Prece; itemque diebus dominicis, nisi, ob rationes pastorales, præferatur Prex eucharistica tertia.

b) Prex eucharistica secunda, ob peculiares ipsius notas, opportunius sumitur diebus infra hebdomadam, vel in peculiaribus rerum adiunctis. Quamvis præfatione propria instructa sit, adhiberi potest etiam cum aliis præfationibus; cum iis præsertim quæ mysterium salutis compendiose repræsentant, v. gr. cum præfationibus communibus. Quando Missa pro aliquo defuncto celebratur, adhiberi potest peculiaris formula, suo loco, nempe ante Meménto étiam proposita.

c) Prex eucharistica tertia cum qualibet præfatione dici potest. Eius usus præferatur diebus dominicis et festis. Si autem hæc Prex in Missis defunctorum adhibeatur, usurpari potest peculiaris formula pro defuncto, suo loco inserenda, nempe post verba: Omnes fílios tuos ubíque dispérsos, tibi, clemens Pater, miserátus coniúnge.

d) Prex eucharistica quarta præfationem immutabilem habet et summarium plenius historiæ salutis præbet. Adhiberi potest quando Missa præfatione propria caret, et in dominicis “ per annum ”. In hanc Precem, ratione structuræ, inseri nequit peculiaris formula pro defuncto.

### De cantibus

366. Cantibus in Ordine Missæ positis, v. gr. ad Agnus Dei, non licet substituere alios cantus.

367. In eligendis cantibus inter lectiones occurrentibus, necnon cantibus ad introitum, ad offertorium et ad Communionem, normæ serventur, quæ suis locis statuuntur (cf. nn. 40-41, 47-48, 61-64, 74, 86-88).

## Caput VIII
## DE MISSIS ET ORATIONIBUS AD DIVERSA ET DE MISSIS DEFUNCTORUM

### I. DE MISSIS ET ORATIONIBUS AD DIVERSA

368. Quoniam liturgia Sacramentorum et Sacramentalium id efficit ut fidelibus bene dispositis omnis fere eventus vitæ sanctificetur gratia divina manante ex mysterio paschali,[144] et quoniam Eucharistia est sacramentum sacramentorum, Missale suppeditat exempla Missarum et orationum, quæ in diversis occasionibus vitæ christianæ adhiberi possunt pro necessitatibus totius mundi aut Ecclesiæ universæ vel localis.

369. Perspecta ampliore facultate eligendi lectiones et orationes, expedit ut Missæ ad diversa moderate, idest quando opportunitas id exigit, adhibeantur.

370. In omnibus Missis ad diversa, nisi aliter expresse caveatur, licet adhibere lectiones feriales, necnon cantus inter ipsas occurrentes, si cum celebratione conveniant.

371. In huiusmodi Missis adnumerantur Missæ rituales, pro variis necessitatibus, ad diversa et votivæ.

372. Missæ rituales cum celebratione quorundam Sacramentorum vel Sacramentalium conectuntur. Prohibentur in dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, in sollemnitatibus, in diebus infra octavam Paschæ, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum et in feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ, servatis insuper normis quæ in libris ritualibus vel in ipsis Missis exponuntur.

373. Missæ pro variis necessitatibus vel ad diversa assumuntur quibusdam in rerum adiunctis, sive interdum sive statis temporibus occurrentibus. Ex his ab auctoritate competenti seligi possunt Missæ pro supplicationibus, quæ decursu anni a Conferentia Episcoporum statuentur.

374. Occurrente aliqua graviore necessitate vel utilitate pastorali, Missa ipsi conveniens celebrari potest, de mandato vel licentia Episcopi diœcesani, omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus, dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ,

diebus infra octavam Paschæ, Commemoratione omnium fidelium defunctorum et feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ.

375.Missæ votivæ de mysteriis Domini aut in honorem beatæ Mariæ Virginis vel Angelorum vel cuiusdam Sancti vel omnium Sanctorum, pro fidelium pietate dici possunt in feriis per annum, etiamsi occurrit memoria ad libitum. Celebrari tamen nequeunt, tamquam votivæ, Missæ quæ referuntur ad mysteria vitæ Domini vel beatæ Mariæ Virginis, excepta Missa eiusdem Immaculatæ Conceptionis, quia eorum celebratio cohæret cum anni liturgici cursu.

376.In diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive, temporis Nativitatis a die 2 ianuarii, et temporis paschalis post octavam Paschatis, Missæ pro variis necessitatibus, ad diversa

[144] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 61.

et votivæ per se prohibentur. Si autem aliqua vera necessitas vel utilitas pastoralis id postulet, in celebratione cum populo adhiberi potest Missa huic necessitati vel utilitati respondens, de iudicio rectoris ecclesiæ vel ipsius sacerdotis celebrantis.

377.In feriis per annum in quibus occurrunt memoriæ ad libitum vel fit Officium de feria, licet celebrare quamlibet Missam vel adhibere quamlibet orationem ad diversa, exceptis tamen Missis ritualibus.

378.Peculiari modo, memoria sanctæ Mariæ in sabbato commendatur, quia Redemptoris Matri in Liturgia Ecclesiæ imprimis et præ omnibus Sanctis veneratio tribuitur.[145]

## II. DE MISSIS DEFUNCTORUM

379.Sacrificium eucharisticum Paschatis Christi pro defunctis offert Ecclesia ut, inter se communicantibus omnibus Christi membris, quæ aliis impetrent spiritualem opem, aliis afferant spei solacium.

380.Inter Missas defunctorum primum locum tenet Missa exsequialis, quæ celebrari potest omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus de præcepto, feria V Hebdomadæ sanctæ, Triduo paschali et dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, servatis insuper omnibus servandis ad normam iuris.[146]

381.Missa defunctorum post acceptum mortis nuntium, vel in ultima sepultura defuncti, vel in primo anniversario die, celebrari potest etiam diebus infra octavam Nativitatis, diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria quæ non sit IV Cinerum aut Hebdomadæ sanctæ.

Aliæ Missæ defunctorum, seu Missæ “ cotidianæ ” celebrari possunt in feriis per annum, in quibus occurrunt memoriæ ad libitum vel fit Officium de feria, dummodo pro defunctis revera applicentur.

382.In Missis exsequialibus habeatur de more brevis homilia, secluso tamen quovis genere laudationis funebris.

383.Incitentur fideles, præsertim e familia defuncti, ut etiam per sacram Communionem sacrificium eucharisticum pro defuncto oblatum participent.

384. Si Missa exsequialis directo conectitur cum ritu exsequiarum, dicta oratione post Communionem, et omisso ritu conclusionis, fit ritus ultimæ commendationis seu valedictionis; qui ritus nonnisi præsente cadavere celebratur.

385.In ordinandis ac seligendis iis partibus Missæ pro defunctis, præsertim Missæ exsequialis, quæ variari possunt (ex. gr. orationibus, lectionibus, oratione universali), præ oculis habeantur, ut par est, rationes pastorales, quoad defunctum, eius familiam, et astantes.

Specialem insuper rationem habeant pastores de iis qui, per occasionem exsequiarum, liturgicis celebrationibus adsunt vel Evangelium audiunt, sive sunt acatholici sive catholici qui Eucharistiam numquam vel vix umquam participant, vel fidem etiam amisisse videntur: sunt enim sacerdotes ministri Evangelii Christi pro omnibus.

[145] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, Lumen gentium, n. 54; Paulus VI,

Adhort. Ap., Marialis cultus, diei 2 februarii 1974, n. 9: A.A.S. 66 (1974) pp. 122-123.
[146] Cf. præsertim Codex Iuris Canonici, cann. 1176-1185; Rituale Romanum, Ordo Exsequiarum, editio typica 1969.

## Caput IX
## DE APTATIONIBUS QUÆ EPISCOPIS EORUMQUE CONFERENTIIS COMPETUNT

386. Missalis Romani instauratio, ad normam decretorum Concilii Œcumenici Vaticani II ætate nostra effecta, assidue curavit ut fideles universi, in celebratione eucharistica, plenam illam, consciam atque actuosam participationem præstare possint, quæ ab ipsius Liturgiæ natura postulatur, et ad quam ipsi fideles, vi suæ condicionis, ius habent et officium.[147]
Quo autem celebratio normis et spiritui sacræ Liturgiæ plenius respondeat, in hac Institutione et in Ordine Missæ ulteriores aliquæ aptationes proponuntur, quæ iudicio vel Episcopi diœcesani vel Conferentiarum Episcoporum committuntur.
387. Episcopus diœcesanus, qui ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet,[148] vitam liturgicam fovere, moderari eique invigilare debet in sua diœcesi. Ipsi, in hac Institutione, committitur concelebrationis disciplinam moderari (cf. nn. 202, 374), normas statuere circa munus inserviendi sacerdoti ad altare (cf. n. 107), circa sacram Communionem sub utraque specie distribuendam (cf. n. 283), circa domos ecclesiæ exstruendas et ordinandas (cf. n. 291). Sed ad ipsum primarie spectat spiritum sacræ Liturgiæ in presbyteris, diaconis et fidelibus alere.
388. Aptationes, de quibus infra, quæ ampliorem coordinationem expetunt, in Conferentia Episcoporum, ad normam iuris, sunt determinandæ.
389. Ad Conferentias Episcoporum competit imprimis huius Missalis Romani editionem in probatis linguis vernaculis apparare atque approbare, ut, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeatur.[149]
Missale Romanum sive in textu latino sive in versionibus vernaculis legitime approbatis integre edendum est.
390. Conferentiarum Episcoporum est aptationes definire et, actis a Sede Apostolica recognitis, in ipsum Missale introducere, quæ in hac Institutione generali et in Ordine Missæ indicantur, uti sunt:
– fidelium gestus et corporis habitus (cf. supra, n. 43);
– gestus venerationis erga altare et Evangeliarium (cf. supra, n. 273);
– textus cantuum ad introitum, ad præsentationem donorum et ad Communionem (cf. supra, nn. 48, 74, 87);
– lectiones e Sacra Scriptura peculiaribus in adiunctis desumendæ (cf. supra, n. 362);
– forma pro pace tradenda (cf. supra, n. 82);
– modus sacræ Communionis recipiendæ (cf. supra, nn. 160, 283);
– materia altaris et sacræ supellectilis, præsertim sacrorum vasorum, necnon materia, forma et color vestium liturgicarum (cf. supra, nn. 301, 326, 329, 339, 342-346).

[147] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 14.
[148] Cf. ibidem, n. 41.
[149] Cf. Codex Iuris Canonici, can. 838 § 3.

Directoria vero aut Instructiones pastorales, quas Conferentiæ Episcoporum

utiles iudicaverint, prævia Apostolicæ Sedis recognitione, in Missale Romanum, loco opportuno, induci poterunt.

391. Iisdem Conferentiis spectat versionibus textuum biblicorum qui in Missæ celebratione adhibentur, peculiari cura attendere. Ex Sacra Scriptura enim lectiones leguntur et in homilia explicantur, psalmi canuntur, atque ex eius afflatu instinctuque preces, orationes et carmina liturgica effusa sunt, ut ex ea significationem suam actiones et signa accipiunt.[150]

Sermo adhibeatur qui captui fidelium respondeat et publicæ proclamationi aptus sit, notis tamen servatis quæ propriæ sunt diversis modis loquendi in libris biblicis adhibitis.

392. Item Conferentiarum Episcoporum erit versionem aliorum textuum assiduo studio apparare, ut, etiam servata indole cuiusque linguæ, sensus textus primigenii latini plene et fideliter reddatur. In hoc opere efficiendo, spectare expedit diversa litterarum genera quæ in Missa adhibentur, uti sunt orationes præsidentiales, antiphonæ, acclamationes, responsa, supplicationes litanicæ, etc.

Præ oculis habeatur quod textuum versio non spectat imprimis ad meditationem, sed potius ad proclamationem vel cantum in actu celebrationis.

Sermo adhibeatur fidelibus regionis accommodatus, attamen nobilis ac litteraria qualitate præditus, firma semper manente necessitate alicuius catechesis de sensu biblico et christiano nonnullorum verborum et sententiarum.

Præstat vero, in regionibus eandem linguam habentibus, pro textibus liturgicis, præsertim vero pro textibus biblicis et pro Ordine Missæ eandem versionem, quantum fieri potest, haberi.[151]

393. Attento loco eminenti, quem in celebratione cantus obtinet, utpote liturgiæ pars necessaria vel integralis,[152] Conferentiarum Episcoporum est melodias aptas approbare, præsertim pro textibus Ordinarii Missæ, pro populi responsionibus et acclamationibus, et pro peculiaribus ritibus per annum liturgicum occurrentibus.

Item iudicare quasnam formas musicales, melodias, instrumenta musica in cultum divinum admittere liceat, quatenus usui sacro vere apta sint vel aptari possint.

394. Oportet ut quævis diœcesis suum Calendarium et Proprium Missarum habeat. Conferentia vero Episcoporum, pro sua parte, conficiat calendarium proprium nationis, vel, una cum aliis Conferentiis, calendarium amplioris dicionis, ab Apostolica Sede approbandum.[153]

In hoc opere perficiendo, maxime servanda et tuenda est dies dominica, ut primordialis dies festus, exinde aliæ celebrationes, nisi revera sint maximi momenti, ipsi ne præponantur.[154] Item curetur ne annus liturgicus ex decreto Concilii Vaticani II recognitus elementis secundariis obscuretur.

[150] Cf. ibidem, n. 24.
[151] Cf. ibidem, n. 36 § 3.
[152] Cf. ibidem, n. 112.
[153] Cf. Normæ Universales de Anno liturgico et de Calendario, nn. 48-51, infra, p. 99; S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. Calendaria particularia, diei 24 iunii 1970, nn. 4, 8: A.A.S. 62 (1970) pp. 652-653.
[154] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 106.

In calendario nationis conficiendo, dies indicentur (cf. n. 373) Rogationum et Quattuor anni Temporum, et formæ et textus ad illas celebrandas,[155] aliæque peculiares determinationes præ oculis habeantur.

Convenit ut, in edendo Missali, celebrationes quæ toti nationi vel dicioni sunt propriæ suo loco inter celebrationes calendarii generalis inserantur, quæ vero regioni vel diœcesi in Appendice particulari locum habeant.

395. Demum, si fidelium participatio et eorum spirituale bonum varietates et profundiores aptationes requirant, ut sacra celebratio ingenio et traditionibus diversarum gentium respondeat, Conferentiæ Episcoporum illas Sedi Apostolicæ,

ad normam art. 40 Constitutionis de sacra Liturgia proponere poterunt, de ipsius consensu introducendas, præsertim pro gentibus quibus Evangelium recentius nuntiatum est.[156] Attente serventur peculiares normæ quæ per Instructionem " De Liturgia romana et inculturatione " traditæ sunt.[157]

Ad modum autem in hac re procedendi, hæc serventur:

Imprimis prævia propositio Sedi Apostolicæ particulatim exponatur, ut, debita facultate concessa, ad singulas aptationes elaborandas procedatur.

His propositis ab Apostolica Sede rite approbatis, experimenta pro temporibus et locis statutis peragentur. Si casus fert, experimenti tempore expleto, Conferentia Episcoporum aptationum prosecutionem determinabit et rei maturam formulationem Apostolicæ Sedis iudicio proponet.[158]

396. Antequam tamen ad novas aptationes, profundiores præsertim, deveniatur, sedulo curandum erit ut cleri et fidelium debita institutio sapienter ordinateque promoveatur, facultates iam prævisæ ad effectum ducantur et normæ pastorales, spiritui celebrationis respondentes, plene applicentur.

397. Principium quoque servetur, iuxta quod unaquæque Ecclesia particularis concordare debet cum universali Ecclesia non solum quoad fidei doctrinam et signa sacramentalia, sed etiam quoad usus universaliter acceptos ab apostolica et continua traditione, qui servandi sunt non solum ut errores vitentur, verum etiam ad fidei integritatem tradendam, quia Ecclesiæ lex orandi eius legi credendi respondet.[159]

Ritus romanus partem notabilem et pretiosam liturgici thesauri et patrimonii Ecclesiæ catholicæ constituit, cuius divitiæ ad bonum universæ Ecclesiæ iuvant, ita ut earum amissio ei graviter noceret.

Ritus ille sæculorum decursu non solum usus liturgicos ex urbe Roma ortos servavit sed etiam profundo, organico et harmonico modo alios quosdam in se integravit, qui e consuetudinibus et ingenio diversorum populorum variarumque Ecclesiarum particularium sive Occidentis sive Orientis derivabantur, indolem quandam supraregionalem sic acquirens. Nostris vero temporibus identitas et expressio unitaria huius Ritus invenitur in editionibus typicis librorum liturgicorum ex auctoritate Summi Pontificis promulgatis et in libris liturgicis illis re-

[155] Cf. Normæ Universales de Anno liturgico et de Calendario, n. 46, infra, p. 98; S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. Calendaria particularia, diei 24 iunii 1970 n. 38: A.A.S. 62 (1970) p. 660.

[156] Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, nn. 37-40.

[157] Cf. Congr. de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Instr. Varietates legitimæ, diei 25 ianuarii 1994, nn. 54, 62-69: A.A.S. 87 (1995) pp. 308-309, 311-313.

[158] Cf. Ibidem, nn. 66-68: A.A.S. 87 (1995) p. 313.

[159] Cf. Ibidem, nn. 26-27: A.A.S. 87 (1995) pp. 298-299.

spondentibus, a Conferentiis Episcoporum pro suis dicionibus probatis atque a Sede Apostolica recognitis.[160]

398. Norma a Concilio Vaticano II statuta, ut innovationes in instauratione liturgica ne fiant nisi vera et certa utilitas Ecclesiæ id exigat, et adhibita cautela ut novæ formæ ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant,[161] ad ipsius quoque Ritus romani inculturationem operandam applicari debet.[162] Inculturatio insuper necessariam temporis copiam requirit ne festinatim et incaute authentica traditio liturgica contaminetur.

Inculturationis denique inquisitio minime contendit ad novas familias rituales creandas, sed culturæ datæ exigentiis consulere eo tamen modo, ut aptationes inductæ sive in Missali sive in aliis libris liturgicis compositæ indoli propriæ Ritus romani non sint noxiæ.[163]

399. Itaque Missale Romanum, quamvis in linguarum diversitate atque in quadam consuetudinum varietate,[164] in posterum servari debet veluti instrumentum et præclarum signum integritatis et unitatis Ritus romani.[165]

[160] Cf. Ioannes Paulus II, Litt. Ap. Vicesimus quintus annus, diei 4 decembris 1988, n. 16: A.A.S. 81 (1989) p. 912; Congr. de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Instr. Varietates legitimæ, diei 25 ianuarii 1994, nn. 2, 36: A.A.S. 87 (1995) pp. 288, 302.
[161] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 23.
[162] Cf. Congr. de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Instr. Varietates legitimæ, diei 25 ianuarii 1994, n. 46: A.A.S. 87 (1995) p. 306.
[163] Cf. ibidem, n. 36: A.A.S. 87 (1995) p. 302.
[164] Cf. ibidem, n. 54: A.A.S. 87 (1995) pp. 308-309.
[165] Cf. Conc. Œcum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 38; Paulus VI, Const. Ap. Missale Romanum: supra, p. 14.

# NORMÆ UNIVERSALES DE ANNO LITURGICO ET CALENDARIUM ROMANUM GENERALE

## LITTERÆ APOSTOLICÆ
## M O T U P R O P R I O D A T Æ

## NORMÆ UNIVERSALES DE ANNO LITURGICO ET NOVUM CALENDARIUM ROMANUM GENERALE APPROBANTUR

## PAULUS PP. VI

Mysterii Paschalis celebrationem potissimum habere in religioso christianorum cultu momentum, eandemque per dierum, hebdomadarum totiusque anni explicari cursum, dilucide sacrosancto Concilio Vaticano II docemur. Ex quo sequitur, opus esse, ut idem paschale Christi mysterium in instauratione anni liturgici, cuius normæ ab ipsa Sancta Synodo traditæ sunt,[1] in clariore luce ponatur, sive ad ordinationem Proprii, quod vocant, de Tempore ac de Sanctis, sive ad Calendarii Romani recognitionem quod attinet.

I

Re enim vera, progredientibus sæculis, factum est, ut tum ex auctis pervigiliis, religiosis festis, eorumque per octo dies celebrationibus, tum ex variis anni liturgici sensim intersertis partibus, ita non numquam peculiaribus pietatis exercitationibus christifideles uterentur, ut eorum mentes a præcipuis divinæ redemptionis mysteriis quadamtenus sevocari viderentur.
Sed neminem latet, a Decessoribus Nostris S. Pio X et ven.